



0025









ARB. 153 649



3.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**BEATITVDINE IN RE-
GNO GRATIAE EXHIBITA,**
SEV
DE ACTVALI SALVTE VIATORVM,

QVAM

DIVINIS SVB AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, &c.

PRAESIDE

IO. FRANCISCO BVDDEO

S. S. THEOL. D. EIVSDEMQUE P. P.

ad D. Mart. A. MDCCIX.

publicae eruditorum disquisitioni submittit

A. & R.


NICOLAUS PETRVS SIBBERN,

Glückstädio Holzfäher.

J E N Æ,
LITERIS MULLERIANIS.

DISERTATIO THEOLOGICA
DE
BEATITUDINE IN RE
GNO GRATIAE EXISTENTIA
DE ACTUALI SALUTATORUM
DIVINIS SUB ASPICIS
REGTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DUCIS
DOMINO
GUILIELMO HENRICO
DUCE SAXONIAE PALATINO MONTANI
ANGARIAE WESTPHALIAE &
PRÆSIDE
IO. FRANCISCO BADDEO
S. S. THEOL. D. P. S. S. EMOND. P. S.
NICOLAVS PETERVS SEIBERUS
—————
LITTE. LIBRARIIS.





PRAEFATIO APO- LOGETICA.

Lectori Beneuolo

S. P. D.

A V T O R.



Inter recentissimas de doctrina veritatis diuinae controversias merito numeranda est quaestio: *An detur beatitudo jam tum in regno gratiae exhibita, seu actualis salus viatorum.* Super ea enim, paucis abhinc annis, inter Theologos quosdam praestantissimos, praesertim Holsatos, cum vnus forte alterius mentem non recte assequeretur, disputari coeprum est. Cum enim paucos ante annos Pa-

rens

rens meus honoratissimus, Vir plurimum Reuerendus Dominus NICOLAVS SIBBERN, Glückstadiensis Ecclesiaz Pastor, & Consistorii Munsterdorffiensis Regii Adfessor, materiam de beatitudine in regno gratiaz exhibita, publice vigore textus in Cathedra Ecclesiastica tractaret, eamque ex Scriptura S., libris Symbolicis & Theologorum nostrorum monumentis fusius explicaret, non solum publicam Plurimum Reuerendi Domini Collegæ sui contractionem expertus est, sed & insuper alterius magni in Holsati Theologi censuram publicae luci expositam incurrit. Anno videlicet M D C C V I. scriptum aliquod 8. plagulis constant,) contra Potentissimi Danorum Regis mandatum d. 20. Febr. A. 1706. editum) publici iuris factum est, subsequenti titulo: Theologische Belehrungen von einer sich in Holstein erhobenen neuen Lehre / daß die Gläubigen das ewige Leben in diesem Leben / dem Anfang nach / wirklich und in der That haben und besitzen / Hamburg in 4. In hoc scripto præter responsa aliquarum Summe Reuerendarum Facultatum Theologicarum, quæ tamen Parentis sententiam minime dannant, continetur iudicium supremi Patriæ antistitis de hac doctrina, in qua Domini Parentis mei doctrina non modo planè reiecta, sed etiam variis hæreticorum heterodoxorumque placitis annumerata est. Mei in præsentem non est instituti, argumenta illa examinare, quibus doctri-

doctrinam hanc salutarem penitus infringi posse, sibi perusafus est Summe Reuerendus Dn. Iudex, siue iudicii, de quo diximus, autor, sed mearum tantum hoc loco erit partium, breuius notare illa, quae Parenti optimo per 30. iam annos verbum Domini praedicanti, & nunquam vllius herodoxiae aut fanaticismi suspecto, in hoc scripto impurata sunt, cum ea tamen Dno Parenti nunquam in mentem venerint.

Et initio statim ad titulum quod attinet, in ipsam salutarem de beatitudine gratiosa doctrinam iniquus esse videtur, quippe quam pro noua & inaudita venditat, cum tamen & verissima sit, & antiquissima. Noua doctrina est falsa doctrina. Doctrina vetus fit non noua. Postquam semel Deus statuta & leges cultus dederat, doctrinam nouam superaddi noluit: ab eo igitur, qui noua cudit dogmata, hoc ipso falsitatis coarguitur; inquit Hunnius de signis falsi Doctoris §. 30. Si vero quis respexerit doctrinam de beatitudine gratiosa, seu de salute viatorum, tanquam in S. literis fundatam, in libris Symbolicis inde a reformatione stabilitam, & plurimis Theologorum suffragiis semper confirmatam, perspicue intelliget, doctrinam hanc nullo iure in titulo dici vocarique nouam.

Omisso vero titulo, breuibus respiciamus ipsum scriptum. Veritati quippe minime consentaneum est, cum pag. II. dicitur: Parentem doctrinam hanc
saluta-

salutarem de beatitudine viatorum, nude tractasse secundum mentem Statii & Prætorii. Consistorium Regium Münsterdorffense, quod mandato Parentissimi Regis conciones Domini Parentis hac de materia habitas ad examen reuocauit, longe aliud testatur, nec vilam fanaticismi notam Parenti inuri posse affirmat, in Consistoriali Transactione solenni, quæ iam tum typis excusa est. Eiusdem cum priore commatis est denunciatio, facta pag. 16. qua dicitur, Parentem reiecisse quaestionem: Hoffestu auch selig zu werden / de eaque maximo cum contemptu dixisse: Hoffen und harren macht manchen zum Narren. Falsitas huius assertionis, siue denunciationis, vel exinde patet, quod Dn. Denuncians iudicialiter coram Consistorio confessus fuerit: se hæc verba ex ore Dni. Parentis nunquam audiuisse, sed ab aliis sibi ea false esse relata. Pag. 17. communicatus est extractus literarum priuatarum Domini Parentis ad Dn. Præpositum Ioh. Hieron. a Petkum SS. Th. Licentiatum; verum hic extractus partim mutilus, partim interpolatus est & corruptus. Ex plurimis vnum adduxisse sufficiat exemplum: Pag. 20. expressus est locus Hebr. VI. 12. sqq. quem locum deinde pag. 50. contra Parentis sententiam explicat Summe Reuerendus Dn. Iudex: Verum hic locus spurius est & interpolatus, in Parentis enim *αυτογενος* non legitur Hebr. VI. 12. sqq. sed Hebr. VI. 4. sq. id quod Dn. Denuncians ipse deinde affirmavit, seque in descri-

describendo extractu literarum Domini Parentis ,
 errorem pennæ commississe confessus est. Nec for-
 tiori nititur fundamento assertio illa, qua pag. 24.
 asseritur: Parentem docuisse, nullam esse differen-
 tiam essentialem inter visionem aenigmaticam in
 regno gratiae, & inter visionem intuitiuam in
 regno gloriae. Nunquam sermo fuit Domino Pa-
 renti de differentia visionis aenigmaticae & intui-
 tiuae, nec de differentia inter beatitudinem in
 regno gratiae, & inter beatitudinem in regno glo-
 riae, publice quicquam docuit, sed solum in li-
 teris priuatis ad Dn. Praepositum. Hae enim quae-
 stiones sunt problematicae, quae ad academicam
 potius, quam ecclesiasticam pertinent cathedram.
 Nec probari villo modo potest, Dn. Parentem no-
 uas in Theologia excogitasse phrasas, nouaque vo-
 cabula, licet hoc pag. 39. audacter affirmetur, Do-
 minoque Parenti hoc ex capite signa falsi Doctoris
 attribuantur. Iniqua profecto est imputatio, iniuste
 ad diffamandum Parentem excogitata. Nec tamen
 omnes nouae voces in Theologia sunt heterodoxae,
 signumque falsi Doctoris inferunt. Sic enim
 Hilarius, contra Constantium: *Novitates vocum, sed
 profanas, euitari iubet Apostolus, cur tamen pias exclu-
 dis?* (loquitur de voce consubstantialis.) Et Atha-
 nadius disput. contra Arium: *Nominis ne offendaris
 nouitate; an etiam ipsius rei veritatem, quae hoc est
 sortia vocabulum, refugis? Res enim antiqua nouum
 nomen accepit, non vocabulo nouo noua rei veritas ac-*
 cessit.


cesser. Ultimo denique loco Parens contra omnem
 & veritatem & charitatem pag. 58. periurii accu-
 satur, quod nempe doctrinam dubiam, controuer-
 sam, planeque inauditam in Cathedra Ecclesiastica
 docuerit, eaque auditores suos turbauerit. Re-
 pugnat hæc assertio tam apertissimæ veritati,
 quam suffragio consistorii Munsterdorffensis. Cum
 enim maxime Reuerendus Dn. Præpositus, con-
 ciones Domini Parentis hac de materia habitas, &
 sub fide iuramenti examini subiectas, Dn. Parenti
 remitteret, tantum abest, ut doctrinam dubiam,
 planeque inauditam in iis ostenderit, ut potius do-
 ctrinæ huic in concionibus Dn. Parentis proposi-
 tæ cum omni *πληροφωσία* subscripserit. Dabimus
 ipsa Maxime Reuerendi Dn. Præpositi verba, excerp-
 ta ex literis eius ad Dn. Parentem datis, quæ sic so-
 nant: Nach dem ich dessen concepte mit allen Fleiß nun-
 mehro durch gelesen / so preise ich den gnadenreichen
 Gott von Hergens Grund / durch dessen Krafft mein
 Herr Pastor die theure Wahrheit von der würcklichen
 Seeligkeit hier in der Zeitlichkeit / als im Reiche der
 Gnaden / an die Gewissen seiner Gemeine mit solcher
 dexteritet, Überzeugung und Lauterkeit / von aller
 eigenen passion geleet / daß ich nicht zweiffele / er
 darüber das Zeugniß seiner orthodoxiæ tam in-
 Phrasi, quam in re, von allen rechtgläubigen Theo-
 logis erhalten wird. Ich kan nicht läugnen / daß ich
 anfänglich gesorget / es möchte die Seeligkeit hier in
 der Zeit / etwan vermassen alleinig seyn gehandelt
 wor-

§§(o)§§

worden / daß es die Gemeine / cum exclusione imperfectionis, maximeque peccati, ja gar futurae consummationis annehmen können; allein es ist so wohl diesen als andern scrupeln in seinen Predigten der massen vorgebauget / daß ich mit aller ^{Wahrheit} Gewissens / der in selbigen Predigten enthaltenen Lehre / als Göttlicher Wahrheit / unterschreibe.

Omitto reliqua, quibus Domini Parentis famam proferre penitusque prosternere allaborauerunt Domini dissentientes, v.g. dum dicunt: Parentis doctrinam de beatitudine viatorum fluere ex Bohemismo, Chiliasmo & Pietismo, imo sententiam Domini Parentis de hac materia, arctam habere cognationem cum placito Georgii Davidis. Haec enim aliaque omnia leuia sunt, vt vilius pendenda. Vt vero Tibi, Beneuole Lector, penitus de sententia Domini Parentis constet, sequens dissertatio de eius doctrina certiolem te reddet, satiusque instruet. Quam vt absque vilo priuato adfectu legas, deque veritate huius doctrinae secundum Scripturae S. normam ingenuè iudices, summopere rogitō. Vale.

Quod



*Quod Deus Ter Optimus Maximus felix
faustumque esse iubeat.*

§. I.



DE Beatitudine in regno gratiae
exhibita, siue de actuali salute
& vita aeterna viatorum dispu-
taturi, vt meliori ordine res
agatur, sciendum, nos per bea-
titudinem non intelligere beati-
tudinem aliquam temporalem
seu vanam, quam iacitant par-
tim Epicuri de grege porci, in foedissimo voluptatum
stercore sese volutantes Sap. II. 6.9. partim Philosophi
tam Theoretici, quam Practici, quorum illi, inter-
nam quandam beatitudinem in animi tranquillitate, hi
vero in *εὐδαιμονία* Decumenica & Politica collocant; Sed
intelligimus beatitudinem coelestem, aeternam, fideli-
bus Dei filiis in hac vita partim iam tum aliqua ex parte
manifestatam, partim in altera vita omnimode manife-
standam.

§. II. Necpen^{dit}am aeternam h. l. intelligitur
simpliciter, vita aeternam & sine fine duratura, qua

nempe anima a corpore nunquam separatur, sed beatitudo coelestis, siue beatus status, in quo fideles aeternum victuri sunt. Vita enim aeterna si priori sensu simpliciter sumeretur, etiam damnatis omnino foret attribuenda, nam *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* Ies. 66. 24. nostro tamen sensu vita aeterna omnino ad damnatos extendi non potest. Optime hoc explicat D. Fridem. Bechmannus in notis ad Compendium Hutteri Loc. 34. ad Quæst. 1. p. 891. quando ita scribit: Facile patet, quod, quando mentio fit vitæ aeternæ, ut *beatitudo aeterna intelligatur, tropica sit locutio, ubi subiectum pro accidente, siue adiuncto ponitur, vita scilicet aeterna pro accidente siue adiuncto, nempe felicitate, quæ vitæ illi accidit. Alias enim sicut vita proprie dicta, consistit in unione animæ cum corpore: ita, aeterna vita erit perpetua animæ & corporis unio, qualis post resurrectionem æque in damnatis ac beatis futura est. Verum ita Scriptura non solet loqui, sed appellatione vitæ aeternæ, hoc loco intelligitur non vita ipsa secundum se spectata, sed, quæ ei accidit, felicitas summa, & sine fine duratura, sicut damnatorum miseria nunquam cessatura, mors aeterna dicitur.*

S. III. Solent autem Theologi nostri *de theologia* cum de de Beatitudine sermonem faciunt, eam semper bifariam distinguere, nempe inter beatitudinem in regno gratiæ, quoad certa dona iam tum exhibitam, & inter beatitudinem in regno gloriæ, seu altera vita exhibendam & manifestandam. Nota sunt imo notissima discrimina & distinctiones, quibus hanc rem mirifice illustrent, dum videlicet distinguunt; in-

ter regnum gratiae & regnum gloriae, inter beatitudinem
 viae & patriae, inter statum viatorum & comprehensorum,
 inter fruitionem quae fit fidendo & quae fit videndo, inter
 visionem aenigmaticam & intuitivam, inter salutem seu
 beatitudinem inchoatam & consummatam. Ex quibus ali-
 isque distinctionibus apparet, optime docere Theolo-
 gos nostros, de hoc fidei Christianae capite, nec unquam
 fuisse, qui beatitudinem coelestem seu vitam aeternam
 quoad *ωεγιστον*, & certa aliqua dona, in regno gratiae,
 siue in statu viatorum fidelibus Dei filiis exhibitam, ne-
 garint.

§. IV. Ne autem parum memores videamur
 moniti vtilissimi, quod Cicero lib I. offic. §. VII. filio
 suo inculcavit, *omnem de aliqua re institutionem, de-
 bere a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de
 quo disputatur*, ante omnia explicandum a nobis erit,
 quid per beatitudinem in regno gratiae à nobis in-
 telligatur, & in quonam illa beatitudo, seu vita aeter-
 na, consistat. Intelligitur autem per beatitudinem in
 regno gratiae exhibitam nihil aliud, quam possessio &
 fruitio DEI gratiosa, & consistit in certis quibusdam
 bonis, donis & thesauris vitae aeternae a Christo sum-
 ma sua obedientia nobis partis, partim positiuis, par-
 tim priuatiuis, quae nobis in regno gratiae seu in hac
 vita vere, realiter & actualiter, licet non perfecte &
 in excellentissimo gradu, dantur & exhibentur, in al-
 tera autem vita seu in regno gloriae perfectissime &
 excellentissime exhibebuntur. Et haec ipsa bona vitae
 aeternae, seu beatitudinis coelestis in regno gratiae, fide-
 bus donata, sunt varia v. g. vocatio ad regnum coele-

Ieste per verbum luce divina impraegnatum, quo nempe Deus nos illuminet, fidem largiatur, per quam Christus habitat in cordibus nostris, liberet à maledictione legis Rom. 8. 1. 2. 3. 34. liberet à dominio peccati, iustificet, ita vt peccata nobis non imputet Deus, sed nos vt iustos reputet Pf. XXXII. 1. 2. Rom. IV. 7. 8. liberos nos faciat à damnatione & morte aeterna Rom. VIII. 1. adoptet in filios Dei quoad primitias, (plena enim messis manifestatio cum redemptione corporum nostrorum coniuncta est) Gal. III. 26. inhabitet nobis tota SS, Trinitas Joh. XIV. 23. 2. Cor. VI. 16. Leuit. XXVI. 12. ita vt templum simus Spiritus S. vt uniamur tanquam corpus cum Christo capite, vt pacem cum DEO, gaudium in Deo, aliaque dona coelestia possideamus, & vno verbo: vt sentiamus fruitionem & possessionem Dei gratiosam, dum clementem percipimus DEUM Tit. III. 4. 5. dum certiores reddimur amoris DEI fatente ipso Christo Ioh. XVI. Et o nos felices, o nos terque quaterque beatos, qui tam praeclara bona, tam incomparabiles, imo ineffabile thesaurus iam tum in hac miseriarum valle, licet adhaerentibus peccatis & imbecillitatibus, possidemus. Quid enim magis beget mentes nostras, quam unio cum Deo benignissimo? Deus summum bonum est, qui vero summum possidet bonum, ille vere & realiter beatus est, licet inchoatiue & quoad certos gradus Pf. LXXIII. 25. 26. a Deo vero segregatum esse, summum malum est Esa. LIX. 2. DEVS nobis est τὸ πᾶντα ἐν πάντι omnium in omnibus, qui vero habet omnia in omnibus, ille reuera habet vitam aeternam licet non perfecte, sed saltem secundum certas

tas

tas partes. Quid quaeso magis beet animas & mentes nostras, quam unctio sacratissimi fluminis, pax conscientiae, gaudium Spiritus? Quae maior felicitas, quam gratia coram Deo, adoptio à Deo quoad primitias, sanctificatio ex Deo, pax cum Deo, quies in Deo, gaudium de DEO? Certe haec tanta tanque diuina beneficia nemo mortaliū spernere, aut neglectim vsurpare, sed potius ea vt thesauros veros vitae aeternae considerare debet.

S. V. Probabimus id, quod nempe dona beatitudinis, modo enumerata, sint vera dona & thesauri vitae aeternae coelestis, partim ex Scriptura S. vniuersali fidei nostrae norma & iudice, partim ex Scriptis Theologorum nostrorum orthodoxorum, qui eandem nobiscum sententiam fouerunt. Ex Scriptura S. probamus inde, quia multoties bonis illis vitae aeternae, quae in hac vita possident fideles & regenti Dei filii, tribuitur in S. literis ipsum beatitudinis nomen. Sic v. g. adoptio in filios Dei, quam hic in primitiis ante manifestationem adoptionis plenariae, & redemptionem corporum nostrorum, habemus, dicitur beatitudo Rom. VIII. 23. 24. De iustificatione res pari ratione est clarissima. De homine enim iustificato tam Dauid in V. quam Paulus in N. T. asserunt, quod sit beatus Psalm. XXXII. 1. 2. Rom. IV. 6. 7. 8. Cognitio Dei & Iesu (non exclusa tamen cognitione tertiae personae SS. Trinitatis) ab ipso redemptore vocatur Vita aeterna Ioh. XVII. 3. ubi ait: *Haec autem est vita aeterna, vt te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum,* adeoque non solum cogni-

cognitio Dei est medium, quo ad vitam aeternam peruenimus, sed & ipsa pars, *αὐτὴν ἑαυτοῦ*, praegustus, & initium vitae aeternae. Qui enim vere nouerunt Deum ac in fide Iesu Christi uiuunt, in iis vere in hac vita est beatitudo coelestis seu vita aeterna. Optime & eleganter id expressit B. Brentius T. VI. Opp. in cap. 6. Ioh. p. 292. ubi ait: *Nomine vitae aeternae intelliguntur, & comprehenduntur omnia quae ad vitam aeternam pertinent, videlicet, remissio peccatorum, adoptio in filios & haeredes Dei, iustitia coram Deo, Spiritus S. ducens ad obedientiam diuinae uocationis, liberatio & conseruatio in morte, denique caeleste & sempiternum regnum. Quare, qui credit in Iesum Christum, habet remissionem peccatorum, adoptiatur in filium Dei, reputatur iustus coram Deo, donatur Spiritu S. ut obediat uocationi Dei, seruetur in morte & accipit haereditatem caelestis regni, quo & perpetuo fruatur, quibus bonis nihil potest nec maius, nec excellentius dici.* Denique iustitia, pax & gaudium in Spiritu S. quoque regni Dei nomine insigniuntur, Rom. XIV. 17. & fatente B. Hunnio T. III. Opp. col. 391. ibi est regnum coelorum, ubi se offert diuinæ bonitatis manifestatio.

§. XI. Cum hac doctrina Scripturae S. consentiunt quoque Ecclesiae nostrae Doctores fere omnes. Ex plurimis hic adducimus Frommium in Theologia Catechetica cap. 22. p. 399. 402. seq. ubi de communionem cum Deo differens, ita ait: Summa nostra beatitudo est communio cum Deo, ad quam fide peruenimus, sed bona opera nostra testimonia sunt, nos habere communionem cum Deo. Cum Frommio consentit

fentit B. *Spenerus* in rabb. Catechet. latinis (quas ob singularem in eruendo Scripturae S. sensu diligentiam & fidelitatem laudat D. *Mayerus* in *Museo* P. I. pag. 268. cum ita scribit ; Beatitudo siue salus ; non tantum consistit in abolitione omnis mali , sed in possessione summi boni. Hoc vero est , quando Deus nobis donatur : Ille est magna nostra merces Gen. XV. 1. Adantur *Scrinerus* in *Ecclen-Schaz* P. III. Conc. VI. §. 20. *Ioh. Arndius* in Concionibus super Psalmos p. 4. col. 2. aliique.

§. VII. Minime autem existimandum est , nos , cum de salute iam in regno gratiae quoad certa dona exhibita loquimur , statuere beatitudinem seu actualem salutem , vel vitam aeternam consummatam , vel gloriosam. Neutiquam ; scimus enim & credimus , fideles & in fide IESU CHRISTI ad finem usque vitae perseverantes , habituros esse vitam aeternam multo imo omnino excellentiorem , perfectiorem , & consummatiorem. In regno enim gloriae videbunt DEUM non per speculum , sed a facie ad faciem visione intuitiva ; in regno gloriae fideles omnino liberi erunt ab omni peccato , tam originali , quam actuali ; accipient in altera vita plenissimam restitutionem amissae imaginis divinae , adoptionem in filios DEI quoad messem plenariam , post redemptionem corporum ; & denique immutabile & ineffabile aeternum gaudium quoad corpus & animam. Interim tamen hi gradus longe imo summe excellentiores , non excludunt actualem & realem beatitudinem , seu *wey*

genus vitae aeternae in hac vita, seu in regno gratiae. Repetendae hic omnino sunt & attendendae distinctiones §. 3. à nobis allatae, quibus addimus distinctionem inter modos habendi diuersos, salua rei vnitae habitae.

§. VIII. His itaque rite expositis, quid nempe intelligatur a nobis per beatitudinem in regno gratiae exhibitam, & in quo consistat haec beatitudo, quaeritur: *an detur aliqua talis beatitudo actualis in regno gratiae exhibitae, siue an dona & bona vitae aeternae a nobis modo recensita cadant in regnum gratiae?* Id quod a nobis & omnibus Theologis orthodoxis quam constantissime affirmatur. Doctrina haec est vniuersi Christianismi Catholica, fatente *Hülsemanno* in *Calixtinischen Gewissens Wurm* p. 650. quod omnis homo, quam primum per fidem in Iesum iustificatus, & adoptionis in filium Dei particeps factus sit, eo ipso habeat vitam aeternam, seu beatitudinem, licet non perfectissimam & consummatiuam, tamen inchoatiuam & quoad certos gradus, quoad certa bona, i. e. habeat liberationem a maledictione legis, Rom. VIII. 1. 2. 3. 34. iustificationem & liberationem ab imputatione peccati Ps. XXXII. 1. 2. Rom. IV. 7. 8. liberationem a morte & damnatione Rom. VIII. 1. adoptionem in filium Dei quoad primitias Galat. III. 26. inhabitationem totius SS. Trinitatis Ioh. XIV. 23. 2. Cor. VI. 16. Leuit. XXVI. 12. & vno verbo, quod sentiat possessionem & fruitionem Dei gratiosam, dum Deum clementem percipit Tit. III. 4. 5. & amoris Dei certior redditur Ioh. XVI. Hac, inquam, dona beatitudinem actualem in regno gratiae, seu vitam aeter-

aeternam constituentia habent regeniti Dei vere & actualiter, quamdiu in vera fide in IESUM CHRISTUM perseverant. Testatur hoc Saluator ipse Ioh. VI 54. ubi fic ait: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam, & ego suscitabo illum ultimo illo die.* In hoc dicto Saluator noster hominibus illis, qui carnem ipsius edunt, & sanguinem illius bibunt, h. e. qui in ipsum credunt, & omnia bona, quae Christus illis acquisiuit, sibi firmiter & fiducialiter attribuunt, duplex bonum tribuit (α) possessionem vitae aeternae, (β) resuscitationem a mortuis. De illo loquitur in tempore praesenti: *habet vitam aeternam*, de hoc vero in tempore futuro, *quod cum sit resuscitaturus in die extremo.* Non dicit Saluator, qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, habebit vitam aeternam, sed in praesenti: *habet vitam aeternam*, & quidem *non* habere vitam aeternam anteponebat *non* resuscitare a mortuis. Non enim dicit Saluator, qui edit carnem meam, hunc resuscitabo a mortuis, & ille habet vitam aeternam, alias enim, necessario intelligenda esset vita aeterna, quam demum post resurrectionem a mortuis accepturi sunt fideles; quia vero Saluator noster hic *non* habere vitam aeternam diserte antefert resuscitationi a mortuis, ideo necessario intelligenda hic est vita aeterna, seu beatitudo, fidelibus & credentibus iam tum in regno gratiae, quoad certa dona, communicata & donata. Iam sole clarius sequitur, quod, si credentes vitam aeternam inchoative ante mortem vel resuscitationem a morte non habeant, illos etiam ante mortem non habere cognitionem Dei, gratiam Dei, illos non gaudere

dere adoptione in filios Dei, illos non esse templa Spiritus Sancti & habitacula totius S. S. Trinitatis, illos non sentire pacem cum Deo & gaudium in Spiritu Sancto: Sed nec hoc Rom. IV. 8. Ergo quoque nec illud. *Nam posita causa in esse causali ponitur causatum.* Si vero quis adhuc negaret beatitudinem in regno gratiae, illum necesse est negare, bona modo enumerata v. g. cognitionem Dei, gratiam Dei, adoptionem in filios Dei, liberationem a peccato, inhabitationem Trinitatis, pacem & gaudium in Spiritu S. esse bona beatitudinis vel vitae aeternae. Quod tamen contra Scripturam foret, quippe quae haec dona expresse nomine beatitudinis insigniuit, vt antea §. V. demonstrauius. Nec tamen dona haec vitae aeternae, per fidem in regno gratiae semel apprehensa, sunt inamissibilia, sed iterum amitti per peccata eorumque dominium possunt, id quod clare testatur Iohannes I. Epistola III. 15. vbi ait: *quod homicida non habeat vitam aeternam ex animo in se ipso manentem i. e. quod homicida vitam aeternam, quam semel iam habuit & possedit, iterum amittat odio fratris, quod beatitudinis iacturam faciat, adeoque fidem & gratiam Dei & Spiritus S. amittat.* Illa autem amissio siue amissibilitas, accedentibus peccatis, necessario inuoluit veram, realem & actualem praesentiam antecedentem rei, quae est beatitudinis in regno gratiae.

§. IX. Pari certe ratione non obstat, quin vera & actualis derur praesentia vitae aeternae, seu certorum donorum, beatitudinem in hac vita constitu-

tuentium, licet dicatur, bona beatitudinis & vitae aeternae esse abscondita & occulta in regno gratiae, tam illis quodammodo, qui ea possident, quam aliis, in vita autem aeterna post resurrectionem & redemptionem corporum, ea fore manifesta & aperta omnibus fidelibus & vniuerso orbi. Nihil omnino detrahitur heic actuali & verae praesentiae vitae aeternae seu beatitudinis, licet sic occulta, *Occultatio enim alicuius rei non infert ipsam rei absentiam.* Probamus hoc ex dicto I. Ioh. III. 2. *Dilecti, nunc filii Dei sumus, & nondum manifestum est, quod erimus, scimus autem fore, ut, cum ipse factus manifestus, similes ei simus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* In hoc dicto Iohannes expresse asserit, & per particulam *nunc*, testatur, quod adoptio in filios Dei, quae pars est beatitudinis Matth. V. 9. iam nobis contingat in hac vita. Tribuitur enim in praesenti iuncta particula *nunc* vitae temporali, quia nempe adoptio in filios Dei, licet sic occulta & abscondita, vere tamen & actualiter a regentis Dei filiis possidetur quoad primitias Rom. VIII. 16. sq. (vbi *non* habere diserte opponitur *non* sperare) interim tamen Iohannes accurate quoque distinguit inter praesentiam adoptionis, & manifestationem adoptionis, de illa dicit, quod cadat in regnum gratiae, de hac autem quod pertineat ad regnum gloriae, post redemptionem corporum nostrorum, cum nempe manifestabitur adoptio, quae iam tum quoad primitias praesens fuerat in vita temporali in animis fidelium, licet fuerit occulta & abscondita. Et Apostolus Paulus Rom. VIII. 23. clare quoque distinguit primitias

B 3

adoptio-

adoptionis, quas iam in hac vita habemus, ab adoptione ipsa, quam demum speramus non accepturos esse, in plenissima manifestatione in altera vita. Egregia sunt verba *B. Hunnii*, quibus locum hunc explicat T. IV. Opp. latin. p. 979. Col. I. ubi sic scribit: *Nos non dicimur Dei filii nudo seu inani titulo, sed vere sumus, & subest nomini res ipsa. Et quidem sumus iam in praesenti filii Dei.* Eodem modo liberatio a damnatione Rom. VIII. 1. restitutio imaginis diuinæ, si non totalis & omnimoda (ea enim in altero seculo demum fiet) tamen partialis 2. Cor. III. 18. vera bona beatitudinis in regno gratiae exhibitae sunt, interim tamen sunt certo modo occulta, nec eorum occultatio impedit, quominus in regenitis sint vere praesentia in regno gratiae. Regeniti enim certa dona vitae aeternae habent in regno gratiae vere praesentia, licet sint occulta, sperant autem, se in altera vita habituros esse, non solum longe plura dona vitae aeternae, sed & ea ipsa, quae iam tum, licet occulta, in regno gratiae possederunt, in excellentissimo longe & perfectissimo gradu. Et hoc Sacrae S. maxime est congruum, quippe quae accurate distinguit bona vitae aeternae in regno gratiae iam exhibita, & in altera vita exhibenda. Sic Apostolus Paulus 2. Cor. III. 18. diferte affirmat, imaginem diuinam iam tum deprehendi in regenitis in regno gratiae, sed & idem Apostolus 1. Cor. XIII. 12. docet, visionem Dei, non per speculum, sed intuitiuam non cadere in regnum gratiae, sed pertinere ad regnum gloriae, in quo fideles primum huius boni vitae

aeternae incomprehensibilis erunt participes. Optime sane hoc expressit D. *Frider. Rappoltus*, ad 1. Ioh. III. 2. pag. 267. Opp. ubi sic scribit: *Nec spes praesentiam & fruitionem excludit absolute, sed tantum ratione earum partium, quae statui gratiae cum statu gloriae communes non sunt; Harum enim ut futurarum proprie spes est: quae huius vitae sunt, ut inhabitatio in homine credente, visio mentalis, id est, cognitio essentiae & beneficiorum Dei, eorumque fruitio, iustitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto, sperari aut expectari non dicuntur.* Ex quibus aliisque sole clarius elucescit, dari beatitudinem in regno gratiae exhibitam, siue actualem salutem & vitam aeternam viatorum.

§. X. Probabimus illud porro plurimis Sacrae S. testimoniis, auctoritate librorum Symbolicorum, & suffragatione summorum nostratum Theologorum. De vita aeterna viatorum, quod nempe ea vere & actualiter regenitis Dei filiis in regno gratiae, competat, sex vicibus testatus est Seruator noster Iesus Christus, vnicum fidei nostrae & veritatis fundamentum, videlicet Ioh. III. 15. ibid. v. 16. Ioh. VI. 40. 47. & 50. Ioh. V. 24. (quem locum expressis verbis de beatitudine in regno gratiae exhibitae seu de actuali salute viatorum explicat *B. Lutherus* T. II. Isleb. p. 184. ubi sic ait: Von diesen Worten soll man 100000. Jahr predigen/ ja man kan nicht genug davon reden/ denn Christus sagt stracks zu das ewige Leben/ dem/ der da glaubet/ und spricht nicht: Wer an mich glaubet/ der wird das ewige Leben haben/ sondern so bald du an mich glaubest/ so hast du es schon.

Idem

Idem & Ioannes baptista confirmat Ioh. III. 36. *Qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui vero non assentitur filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et Paulus plurimis in locis beatitudinem viatorum clare satis exprimit v. g. Rom. VIII. 24. *τῆ ἐλπίδι γὰρ ἐσώθημεν*, salui facti sumus illi ipsi spei, seu Germanice eben derselben Hoffnung. Quibus verbis Apostolus nullam aliam spem intelligit, quam eam, quam paulo ante v. 23. descripserat, qua nempe speramus plenariam messem adoptionis & redemptionem corporum nostrorum, licet iam in regno gratiae habeamus primitias spiritus & adoptionis, & illi ipsi spei salui facti sumus. Egrege locum hunc explicauit, & ex eo beatitudinem in regno gratiae vindicauit, incomparabilis Exegeta, Vir summe Reuerendus D. *Franciscus Iulius Lütken*, Potentissimo Danorum Regi a concionibus aulicis, & Theologiae in Academia Equestri Professor Publicus, in 4. scriptis beatitudinem viatorum concernentibus p. 20. seqq. vbi summa ἀνεξιβία monstrauit, versus 23. & 24. minime esse se iungendos, sed omnino copulandos, cum quo consentit Glossa Bibliorum Vinariensium, quae beatitudinem in regno gratiae h. l. asserit, & spem de plena possessione & fruitione in altera vita explicat. Eandem beatitudinem confirmat, & stabilit aliis in locis, vt Ephes. II. 5. 8. II. Tim. I. 9. Tit. III. 5. vbi in Gr. textu praeteritum conspicitur, licet B. *Lutherus* per imperfectum verterit. Nec video, quis locus esse posset enal-

enallagi temporum in his dictis, cum notante *Hoffman-
zo* in den auserlesenen Kern-Sprüchen pag. 666. Spiritus
S. accurate obseruet tempora, quando de lauacro rege-
nerationis ad salutem loquitur: mox enim dicit in praesenti,
quod baptismus nos nunc saluos faciat *νῦν σωζέει*
I. Petr. III. 21. mox in praeterito, quod saluos nos fecerit
Deus per baptismum *ἔσωσεν ἡμᾶς*, Tit. III. 5. mox
in futuro, quod, qui baptizatus fuerit, *σωθήσεται*, sal-
uus erit.

§. XI. Paulo suffragantur reliqui Apostoli, speciatim *Iohannes* κατ' ἐξοχὴν Theologus, in I. Epist. III. 15. vbi ait: *quod homicida non habeat vitam aeternam* ἐν αὐτῷ in seipso manentem; quod intelligendum non de iis, qui vitam aeternam nunquam habuerunt, sed de iis, qui vitam aeternam quidem possederunt, sed iterum (odio nempe erga fratrem) amiserunt. Cum ergo hic *Iohannes* disertissime affirmet, quod, ii qui fratrem odio prosequuntur, non habeant vitam aeternam in se manentem, necessario sequitur, eos, qui fratrem diligunt, habere vitam aeternam non solum actualiter & vere in se, sed & in se manentem, quia ex morte in vitam transiere. Actualiter dicimus, quia actualiter adest. Nam omne, quod potest amitti, necessario actualiter debet existere, alias enim quadraret hic canon; *non entis nullae sunt affectiones*. Imo de vita aeterna intelligi hic locus non potest, quia in altera vita siue regno gloriae beatitudo amitti non potest, sed est sine fine duratura & aeterna. Taceo reliqua dicta Iohannea,
C
qui-

quibus actualis salus seu vita aeterna viatorum adstruitur, & confirmatur, vt sunt I. Epist. III. 36 (quem locum, vt solet accurate explicat Summe Reuerendus D. *Lütken* l. c. p. 41. sqq.) & I. Epist. V. 12. sqq. ad quem locum notanda sunt ponderosissima Lutheri verba, cum T. IV. lat. f. 192. ita scribit; *Tanta vis est fidei, vt nos viuos faciat ex mortuis, ac sane ea ipsa hora, qua incipimus credere, & verbum apprehendere, viuere etiam incipimus vitam aeternam*, add. quoque *Seb. Schmidius* Comment. in I. Ioh. V. II. vbi inter alia sic: *Deus promittit fidelibus ζωὴν αἰώνιον vitam aeternam, quam non tantum in iure habent, sed in filio iam possident, b. e. dum filium Dei fide possident.* Ex his aliisque Sacrae S. locis euidentissimis abunde elucescit, dari aliquam beatitudinem in regno gratiae quoad certa bona iam tum exhibitam, siue existere in regno gratiae actualem salutem vel vitam aeternam viatorum.

§. XII. Probabimus id porra exemplis eorum, qui, licet adhuc in regno gratiae ante resurrectionem & redemptionem corporum fuerint constituti, tamen beati nuncupati & praedicati sunt. Sic Maria incontaminata Dei genitrix, ad cognatam Elisabetham veniens, eamque in summa aetate grauidam visitans, ab Elisabetha Spiritu Sancto repleta, beata vocatur, quia nempe fidem adhibuerit promissionibus & annunciationibus Archangeli Gabrielis, quibus natiuitatem & incarnationem Iesu Christi Mariae notam fecerat; *Beata*, inquit Elisabetha, *es quae credidisti* Luc. I. 45. Sic Iesus Christus ipse discipulos suos pluribus vicibus beatos praec-

praedicat, videlicet Matt. V. 11. Luc. X. 23. Speciatim Apostolus Petrus, cum de Seruatore incomparabile illud testimonium edidisset, quod nempe sit Christus, filius Dei, a Salvatore beatus praedicatur: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis haec non reiecit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis* Prae euntem sic in hac saluberrima & consolationis plenissima doctrina, de salute in regno gratiae regentis & fidelibus, Dei filiis exhibita, Magistrum Iesum Christum secutus est Apostolus Paulus, qui vt in plurimis locis euidentissime hanc doctrinam asserit, ita speciatim (quod huc facit) Galatas quoque beatos appellat, quia nempe ipsum, cum Euangelium illis praedicare inceperit, & postea praedicare continuauit, lubentissime exceperint, *ἡς ἔν, inquit ἦν ὁ μακαριστὸς ὑμῶν quae ergo erat beatitudo uestra.* Gal. IV. 15. Hunc locum B. *Sebast. Schmidus* in Comment. ad Epistolam ad Galatas Hamb. 1704. edito, expresse explicat de beatitudine in regno gratiae exhibita, cum scribit: *Sensum ex his verbis non vnum faciunt: aliis beatitudo pro praedicatione beatitudinis: idque vel actiue, qua vos me praedicabatis beatum; vel passiuè, qua ego vos praedicem beatos. Sed melius ab aliis pro ipsa beatitudine sumitur, in quem & nos sensum interpretamur.* Nec obstat, quod a nonnullis haec beatitudo explicetur & exponatur per beatitudinem spiritua-lem, ita vt dicetur, Galatas a Paulo quidem vocari beatos, at non actualiter, sed saltem spiritualiter. Beatitudo enim spiritualis non tollit actualem praesentiam beatitudinis in regno gratiae. Galatae enim

omnino habuerunt beatitudinem actualem. Habuerunt enim dona beatitudinis actualis in regno gratiae, vocati sunt per annunciationem Euangelii ad regnum coeleste, illuminati sunt a Spiritu S. per verbum, ita vt crediderint verbo, & per fidem in Christum sint iustificati, quae profecto dona vere bona sunt beatitudinis coelestis. Praeterea euidentissime demonstrauit D. *Carpzouius* beatitudinem spiritualem a coelesti essentialiter non differre in Conc. Funebr. T. II. p. 1377. concione integra, *Himmel im Herzen* / cum quo consentiunt *Seb. Schmidius* in *Kern. Sprüchen* p. 1244. seq. & *Philippus Nicolai* in *Theoria vitae aeternae* p. m. 362. seq. Doctrina itaque manet verissima & summe orthodoxa, dari beatitudinem in regno gratiae quoad certa bona exhibitam, siue actualem salutem & vitam aeternam viatorum.

X. XIII. Nec aliud quicquam euincit vniuersa Christianismi Oeconomia. Eo enim omnia in Christianismo pertinent, vt renouemur ad perditam Dei imaginem. Sic enim docet Apostolus Ephes. IV. 22. sq. vbi ait: *Deponite ergo, quoad pristinam conuersationem, veterem hominem, qui seductricibus cupiditatibus sese corrumpit: Renouamini vero spiritu mentis vestrae. Et induite nouum illum hominem, qui secundum DEUM conditus est, ad iustitiam & sanctimoniam veram, cum quo conf. Coloss. III. 9. Quemadmodum itaque Adam in statu innocentiae, imaginem Dei possidens, extra controuersiam beatus fuit, sic etiam nos in regno gratiae in tantum beati & salui sumus, in quantum ad amisam imaginem diuinam renouamur. Deus enim in regno*

regno gratiae nos saluat (a) *per diuini verbi praedicationem*, testante Petro I. Petr. I. 23. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, id est, per sermonem DEI vini & manentis in aeternum*, quod etiam asserit Paulus, quippe qui Euangelium vocat Vim Dei, ad saluandum omnes, qui ei credunt Rom I. 16. Nec verbi praedictio solum est medium, quo Deus nos saluos reddit in regno gratiae, sed praeter hanc vitam aeternam nobis quoque donat (β) *in & per baptismum* tanquam laucrum regenerationis & renouationis Spiritus S. Tit. III. 5. Nec ego video, quae necessitas nos cogat, vt hoc dictum de futuro tempore explicemus, in eoque figuram Rhetoricam & Grammaticam contineri asseramus: Rhetoricam quidem, quae est Metonymia effecti pro causa, Grammaticam vero quae est Enallage temporum. Paululum enim expresse hic loquitur in praeterito *σωσεν ημās* saluauit nos, non in futuro, saluabit, vel saluaturus est nos; In baptismo enim Jesum Christum induimus Gal. III. 27. *Jesus Christus autem nusquam est absque beatitudine*, multo minus cum actualiter in baptismo induitur, absque actuali beatitudine indui potest. Egregia sunt verba B. Calouii ad Ephes. II. 8. vbi sic scribit: *ὅθεν ergo hic saluari est, quod proprie vis vocis infert, a qua non temere recedendum est. Salus autem intelligitur de salute, tum in regno gratiae, tum in regno gloriae: illud quum in paca, iustitia & gaudio in Spiritu S. consistat Rom. XIV. 17. salus ea obtinetur, cum iustificamur per remissionem peccatorum & imputationem iustitiae Christi; Ideo salus vel beatitudo, & iustificatio*

permutantur ab Apostolo Rom. IV. 2. sqq. Haec aeterna Dei
 visione situm erit, quem hic velut in speculo videmus in ver-
 bo, illic a facie ad faciem visuri 1. Cor. XIII. Viroque modo
 intelligi potest verbum *ἰστώθειν* de iustificationis beatitudi-
 ne, quam per fidem consecuti erant. Ephesii, & saluatio-
 nis, quam itidem per fidem possidemus, sed solum quoad
 spem, (puta ratione consummationis) & praegustum, non
 quoad rem & complementum. Et porro ad Tit. III. 5. contra
 sententiam Grotii sic ait: Nec est, quod verbum *ἰστώθειν* per
 metonymiam explicemus: in salutis via collocavit. Nam per
 baptismum non tantum iustificamur, vel remissionem pecca-
 torum consequimur; sed etiam saluamur. Nec minus sal-
 us est donum Dei, quam iustificatio Ephes. II. 5. 8. Et an-
 non illi, qui post baptismum in infantia decedunt, salute
 potiuntur, etsi bonorum operum merita in iis non inveni-
 antur. Praestat etiam de aliis dicere, quoad saluavit eos
 Deus, etsi nondum aeternam beatitudinem, quae patriae
 est, consecuti, sed in statu viatorum adhuc sint. Non
 tantum ob certitudinem futurae beatitudinis, sed etiam
 ob *ἡμετέροια καὶ ἡμετέροισιν* eiusdem in hac vita, &
 quod omnia, ex quibus beati a modo esse queant, posside-
 ant, ac solum restat, ut per mortem seu ianuam in beatitu-
 dinem penetrent; ideo de fidelibus in se credentibus, ait
 Christus: quod transierint de morte in vitam Ioh. V. 24.
 Praeclare quoque salutem in regno gratiae adstruit
 Apostolus Petrus, dum de salute nobis in baptismo
 donata *ἐν Παντὶ* loquitur 1. Ep. III. 21. *ὅτι πάντες βαπτί-
 σμα* nunc saluat baptismus, h. e. per baptismum, nunc, in
 regno gratiae adhuc & vita temporali, in tam beatum
 &

& felicem collocamur statum, in quo possidemus Deum
 gratiosum, in quo fruimur DEO gratioso, & ob hanc
 fruitionem & possessionem Dei gratiosam nos *nunc* ha-
 e. in regno gratiae quoque sumus beati. Omnes enim
 sumus Dei filii Gal. III. 26. 27. Notanda sunt B. *Lutheri*
 verba ad hunc locum, qui simile Petrinum de Arca Noae
 sic explicat: *quod, quemadmodum in arca Noae mediis in-
 undis fluctuante conseruatae sunt VIII. animae, sic etiam
 nos conseruamur, liberamur a morte aeterna, & saluamur
 per aquam baptismi.* Idem euincit Catechismus B. *Lut-
 heri* minor, qui, cum nempe in eo quaeritur: *Quid
 prodest aut confert baptismus?* ita salutem in regno
 gratiae adstruit & respondet: *Operatur remissionem pec-
 catorum, liberat a morte & Diabolo & donat aeternam
 beatitudinem omnibus & singulis, qui credunt hoc, quod
 verba & promissiones diuinae pollicentur.* Hic notandum
 est, quod baptismus, donec aeternam beatitudinem,
 solum consummatiuam aliquando in regno gloriae,
 sed & inchoatiuam iam tum in regno gratiae, siqui-
 dem Deus foedus gratiae nobiscum pangit 1. Petri III.
 21. & nos Jesum Christum induimus Gal. III. 27. quae
 omnia vt vere & actualiter fiunt in regno gratiae,
 ita quoque salutem actualem in regno gratiae infe-
 runt. Nullis itaque rationibus in Sacra S. fundatis,
 suffulta est illorum explicatio, qui putant, baptismum
 quidem operari actualiter remissionem peccatorum,
 liberareque a morte actualiter, verum beatitudinem
 aeternam non dari vere & actualiter, sed saltem di-
 spositiue, & praeparatiue, vt nempe baptizati idonei
 saltem

saltem reddantur ad vitam aeternam aliquando post consummationem mundi obrinendam. Contrariatur enim haec explicatio vniuerso contextui, seu vniuersae huius quaestionis Catecheticae connexioni, quippe quae diserte asserit, quemadmodum baptismus operetur actualiter remissionem peccatorum, sic etiam operari baptismum, eadem serie docet, vitam seu beatitudinem aeternam, non quidem consummatiuam solum post hanc vitam, sed & inchoatiuam in hac vita, cum quo consentit Petrus I. Epist. III. 21. de quo paulo ante. Notanda sunt ad hunc Catechismi locum verba B. *Iob. Bened. Carpzoui*, Senioris, in *Ilagoge ad libb. Symbolicos* p. 1089. vbi sic ait: Hic fructus positiuus est, „scil. collatio vitae aeternae, tam quoad ius, quam „quoad possessionem quoque in regnum Christi defert, „vt cum eo immortalem vitam agamus, inquit *Lutherus*. „Quando enim Petrus dicit, Baptismum saluare nos I. „Petr. III. 21. non tantum in genere saluationem Spiritualem intelligit, quae est liberatio ab hostibus Ezech. „XXXVI. 29. Matth. I. 21. Luc. I. 71. 1. Tim. I. 15. sed „etiam ipsam adoptionem, qua ius filiorum Dei ac regni accipimus Ioh. I. 12. Rom. IIX. 17. & haeredes „vitae aeternae reddimur Tit. III. 7. ac realem possessionem, quam confert, dum in ipsa morte etiam vis „ac efficacia eius durat, qua confertur vita aeterna in fide „de ex hac vita discedentibus. Vt enim prima ianua „est ad regnum coelorum, ita quoque promouet nos ad „vitam aeternam.

§. XIV. Beatitudinem in regno gratiae exhibitam seu actualement salutem viatorum euincit quoque & demonstrat potestas clauium. Praeclare hoc testatur Rex & Propheta Dauid, cum Ps. XXXII. i. sic exclamat: *Beatus leuatus a defensione, cuius rectum est peccatum. Beatus, cui non imputat leuonia iniquitatem, & cuius Spiritui non inest dolus*; quem locum repetit Paulus Rom. IV. 8. qui & versiculo sexto beatitudinem attribuit homini, cui Deus imputat iustitiam absque operibus. Nulla igitur ratione abolitio peccatorum, iustificatio & primitiae Spiritus Sancti dici & vocari possunt media salutis dispositiua solum & causalia, quibus nempe idonei reddimur & praeparatur ad vitam aeternam, post consummationem mundi in regno gloriae obtinendam. Nos potius cum S. Sacra & orthodoxis statuimus, abolitionem peccatorum, iustificationem & Spiritus Sancti primitias inferre formalem beatitudinem in regno gratiae, licet inchoatiuam & imperfectam, siquidem beatitudo formaliter talis nihil aliud est, quam possessio & fruitio Dei gratiosa, ex qua possessione & fruitione Dei gratiosa fluunt complurima bona vitae aeternae, tam priuatiua, quam positiua, quae nihil aliud, quam formalem beatitudinem, licet inchoatiuam, constituunt Ps. LXXIII. & CXIV. Non ergo tantum bonis hisce modo enumeratis praeparatur solum & idonei reddimur ad salutem, sed & formalem salutem iam tum in his bonis posidemus. Nec obstat simile, quod sumitur a differentia sponsaliorum & matrimonii, quo nempe dicitur, sponsalia non inferre matrimonium

D

nium

niam ipsum vel eiusdem consummationem, licet dicantur matrimonium inchoatum; imo sponsalia esse potius a matrimonio essentialiter distincta. Ex iure enim ecclesiastico constat, sponsalia rite contracta iam tum actualiter inferre matrimonium, licet absit adhuc plenaria matrimonii fruitio, adeoque sponsalia rite contracta nullis aliis ex causis resolui atque annihilari possunt, quam iis causis, quae matrimonium ipsum dirimunt atque dissolunt. Consensus enim facit nuptias, non concubitus. Pari certe ratione, licet liberatio a peccatis & iustificatio non inuoluant salutem siue beatitudinem consummativam & plenariam iam in regno gratiae, inferunt tamen veram & actualem beatitudinem inchoativam, licet cum luctu carnis & Spiritus coniunctam. Non enim confidimus tantum, nos aliquid habituros esse in futuro, sed & aliquid iam in praesenti habere. vid. *Höpfnerus* de iustificatione Disput. IX. p. 802. ubi prolixius aduersus *Bellarminum* demonstrat, nos, dum salutem inchoativam statuimus, non tollere spem proprie sic dictam beatitudinis coelestis siue consummariuae.

§. XV. Digna corporis & sanguinis Iesu Christi in Sacramento Coenae Dominicae manducatio, manifeste quoque demonstrat beatitudinem seu actua-
lem salutem in regno gratiae. Hac enim manducatione certi imo certissimi reddimur, remissionis peccatorum Matth. XXV. & vitae aeternae. *Catechismus B. Lutberi minor*, cum articulo de Sacramento altaris proponit, beatitudinis in regno gratiae certi-

certitudinem egregie adstruit, quando nempe ad quæ-
 sitionem: *Quid prodest, sic comedisse & bibisse?* ita
 respondet: *Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis da-
 tur & effunditur in remissionem peccatorum. Nempe,
 quod nobis per verba illa in Sacramento, remissio pecca-
 torum, vita, iustitia & NB. salus donetur; Vbi enim
 remissio peccatorum est, ibi est & vita & salus. Vbi
 prope notandum, quod nobis in Sacramento iam tum
 donentur vita & salus: Ergo illa donatio necessario fit
 vere & actualiter, alias enim non esset donatio Sacra-
 mentalis. Illa enim nihil admittit, nisi quod vere
 & actualiter præsens est.*

§. XVI. Officii Ecclesiastici finis quoque eo
 respicit, ut eo salus siue beatitudo in regno gratiæ
 stabiliatur. Non enim finis Officii Ecclesiastici solum
 est, ut homines salvi fiant in vita æterna seu regno
 gloriæ Marc. XVI. 15. sq. sed etiam ut participes bea-
 titudinis in regno gratiæ fiant 1. Cor. IX. 22. & 1. Ti-
 moth. IX. 16. Et, O terque quaterque felices Ecclesiæ
 Doctores, qui de auditoribus suis illud gloriari pos-
 sunt, quod Paulus de suis gloriatus est auditoribus
 1. Cor. I. 4. sq. Ephes. I. 3.

§. XVII. Crux denique nihil aliud intendit,
 quam ut homines beatitudine in regno gratiæ po-
 tiantur iuxta Matth. V. 4. 10. sq. Iacob, I. 12. Iacob. V.
 II. 1. Petr. III. 14. Fideles enim licet cruce & varriis
 calamitatibus atque angustiis premantur, vitam tamen
 habent æternam inchoative, siue beatitudinem quo-
 ad certa bona. Testatur hoc Petrus alio in loco, vi-
 delicet 1. Epist. IV. 14. ubi dicit: *si conuitiis afficiimini*

propter nomen Christi, beati estis, quoniam Spiritus gloriae & Dei requiescit super vos. Et licet in textu Graeco solum appareat nomen *μαρτυριου* absque verbo substantiuo, B. tamen Gerbardus cum D. Lutbero explicandum hunc locum & conferendum putet cum effato Christi Matth. V. II. vbi expressis verbis Saluator dicat: *μαρτυριοι εσεσθε οταν ονειδισωσιν υμας, καὶ διαζησοι ενεκεν εμου*, adeoque expressionem versionis vulgatae, quae locum Petrinum per verbum substantiuum futuri temporis, Beati eritis, explicat, omnino & merito reiiicit. Cum enim Petrus h. l. dicat, Spiritum gloriae & Dei requiescere super illos, per hoc *ἀναπαύειν* nihil aliud intelligitur, quam quod Spiritus Sanctus in iis operetur conscientiae quietem, verum gaudium & viuificam consolationem in cruce, quae profecto dona sunt vitae aeternae seu beatitudinistam gratiosae, quam gloriosae, in regno gratiae quidem adhuc imperfecta & variis calamitatibus & alternationibus exposita, in regno gloriae autem perfecta & nulli mutationi obnoxia. conf. insuper de beatitudine mediis etiam in calamitatibus praesente Thom. *Lundii geistliches Königreich* in praefat. p. 5. I

¶ §. XIII. Ex his modo adductis & ex Scriptura Sacra vberius explicatis constat, quam expresse & firmiter Scriptura S. nos de salute vel beatitudine in regno gratiae erudiat, eandemque tot infallibilibus testimoniis confirmet. Nihil ergo huc facit obiectio destructorum suavisimae huius doctrinae, qua putant, se pro abolenda beatitudine temporali mirum quantum inuenisse in dicto Apocalypseos X. 6. *Inua-*

uit



uit Angelus fortis per eum, qui vicit in secula seculorum, qui condidit caelum & terram, & quae sunt in ea, & mare, & quae sunt in eo, tempus non fore amplius, ex eoque deduci optime sibi persuadent, quod actualis salus etiam quoad inchoationem, ratione essentiae & proprietatum non possit esse vel existere, nisi extra omne tempus in aeternitate. Verum his respondemus: quod salus seu beatitudo quoad essentiam suam propriam, neque tempus neque aeternitatem praecise in se contineat, cum nec tempus nec aeternitas pertineant ad primum conceptum beatitudinis, ideoque dici non posse, beatitudinem praecise pertinere ad aeternitatem, verum respicere & pertinere quoque posse ad vitam temporalem, licet quaedam bona beatitudinis, quae etiam proprietates dicuntur, solum ad aeternitatem pertineant. Propria enim & vera, beatitudinis essentia est, (ut iam diximus) fructio & possessio Dei gratiosa, quae tam cadit in regnum gratiae, quam in regnum gloriae, in regno gratiae quidem inchoatiua & imperfecta, interim tamen vera & actualis, in regno gloriae autem consummatiua, perfectissima & plenissima.

§. XIX. Pari certe ratione non obstat obiectio partium dissentientium, qua statuunt, initium vel inchoationem actualis beatitudinis nullibi locum habere, nisi in solo caelo, probantes hoc ex Matth. V. 12. Marc. X. 21. 1. Petr. I. 4. 2. Cor. XII. 2. 2. Petr. III. 13. &c. Quod quidem nos, quando quidem in his locis de salute consummatiua & perfectissima sermo est, quoque libentissime admittimus & concedimus. Si

vero quaeratur: an initium actualis salutis in regno gratiae, quam quidem nos defendimus, nullum habeat locum extra caelum beatorum? respondemus, quod extra caelum gloriosum quoque in regno gratiae utique locum habeat. Adamus enim in statu innocentiae extra controuersiam beatus fuit, & tamen non fuit in coelo, & nos quoque ubicunque locorum beati sumus, ubi posidemus Deum gratiosum, ubi fruimur Deo gratioso, siue id iam nobis contingat in regno gratiae inchoatiue & imperfecte, siue in regno gloriae plenissime & perfectissime. Praeterea salus siue beatitudo beatorum non semper restringitur ad caelum siue π^{e} beatorum. Quis enim negaret Archangelum Gabrielem, cum Mariae annunciaret conceptionem filii Dei, fuisse beatum, & tamen erat extra caelum. Imo Diabolus ipse quandoque est in coelo Hiob. I. & tamen est & manet Diabolus damnatus in aeternum; quid quod in ipso coelo poenas patiatur infernales, eo quod e coelo eiectus sit, adeoque priuatus uisione Dei sempiterna & intuitiua non solum, sed etiam quod non habeat Deum gratiosum, quod non fruatur Deo gratioso.

§. XX. Nec locus Apocalypseos cap. XIV. 13.
Beati dormi, qui in Domino moriuntur. Quoniam Spiritus dicit, quod requiescant a laboribus suis, beatitudinem regni gratiae destruit, cum eo asseratur, quod beate defuncti requiescant ab operibus uocationis, & ab omnibus calamitatibus, quas in mundo perpesi sunt, quod quieti sint a tentationibus diaboli, quod quieti sint ab illecebris & tentationibus mundi & carnis, quod liberi sint ab omnibus poenis tam castigatio.

gationis, quam irae. Locus enim hic, cum de vita aeterna post mortem & redemptionem corporum loquatur, neutiquam tollit beatitudinem in regno gratiae exhibitam. Imo etiam de beatitudine in regno gratiae verum est, eam semper secum habere coniunctam quietam & pacificam vitam, si non externam, tamen internam. Donat enim fidelibus pacem & gaudium in Spiritu Sancto, licet non omnibus numeris absolutum & perfectissimum. Vita autem quiescens externa non semper requiritur ad beatitudinem in se & in sua essentia, sufficit ad beatitudinem in regno gratiae, fructus & possessio Dei gratiosa, & quae exinde sequuntur, gaudium & pax in Spiritu Sancto interna. Praeterea crux & calamitas in regno gratiae non tollunt beatitudinem seu salutem. Iacobus enim testatur, beatitudinem in regenito vtrique locum habere, etiam media in cruce: *Beatus*, inquit, *vir qui tentationem patitur* Iacob. I. Imo ipse Christus hoc affirmat Matth. V. 10. *Beati*, quos *persequuntur homines iustitiae causa, quoniam regnum coelorum est eorum*, add. v. 11. & 12. Maria virgo Dei genitrix, licet ensis penetret animam eius, at tamen beata est Luc. I. Adam in statu innocentiae vere beatus erat, licet in Paradiso curas & labores arborum sustinere debebat Genes. II. Nihil ergo obstat, quo minus fideles & regeniti sint vere beati in regno gratiae, licet variis tentationibus vexentur, & variis calamitatibus premantur Tob. XII. 13. Ab omni enim cruce, labore, tentatione & calamitate quietum, securum & liberum esse, non pertinet ad beatitudinem in regno gratiae inchoativam, sed

fed ad salutem in regno gloriae consummatam, & huc respicit locus Apocalypseos adductus, cum quo conferendus alius cap. VII. vers. 16.

§. XXI. Nec visio Dei intuitiva, seu visio a facie ad faciem 1. Cor. XIII. 2. cum qua coniuncta est perfecta & absolutissima cognitio Dei (quam in regno gratiae consequi non possumus) beatitudinem in regno gratiae excludit. *A fruitione enim rei plenariae ad rei possessionem non valet consequentia*, e. g. Puer minorennis vere possidet haereditatem a Parente sibi relictam, licet nondum plenaria eiusdem haereditatis gaudeat fruitione. Pari ratione visio Dei intuitiva aliaque bona beatitudinis perfecta & summa, quae constituunt plenariam vitae aeternae fruitionem, non excludunt veram possessionem vitae aeternae in regno gratiae quoad certa bona, licet nondum in eo perfectionis gradu iis fruamur in regno gratiae, quam in regno gloriae. Probabimus illud ex Lucae cap. V. v. 23. ubi Christus Servator beatos praedicat illos, qui hoc vident, quod Apostoli tum temporis videbant; Iam Apostoli nondum videbant Deum, vel Christum a facie ad faciem visione intuitiva gloriosa, nihilominus tamen a Christo beati praedicabantur. Necessario ergo exinde sequitur, quod omnino aliqua sit beatitudo in regno gratiae exhibita, licet absit adhuc visio Dei intuitiva, quae non cadit in regnum gratiae, sed in regnum gloriae. Praeterea ad beatitudinem in regno gratiae exhibitam non requiritur plenissima & perfectissima Dei articulumque fidei cognitio, sed sufficit, si tantum adsit cognitio.

gnitionis diuinæ, quantum Deus a nobis requirit in regno gratiæ, & qui tantum habent cognitionis, illi vere sunt beati. *Haec enim est vita æterna, ut te Patrem, qui solus verus Deus es, & quem misisti, filium recte cognoscant,* inquit Christus Ioh. XVII. Imo Petrus, cum egregium illud de Christo testimonium perhibuisset, quod sit Christus filius Dei uiuentis, beatus a Christo praedicatur, dum ait: *Beatus es Simon Iohannæ filius, quoniam caro & sanguis hoc tibi non reuelarunt, sed Pater meus, qui est in coelis* Matth. XVI. 16. Extra omnem verò controuerliam positum est, quod Petrus eo tempore Deum nondum viderit a facie ad faciem, visione intuitiua, eaque gloriosa, & quod nondum habuerit perfectissimam & plenissimam cognitionem Dei & mysteriorum fidei, nihilominus tamen Christus eum beatum esse pronunciat. Praeterea visio Dei intuitiua & cognitio Dei perfectissima pertinent ad consummatam & gloriosam beatitudinem, quæ est regni gloriæ, non vero ad regnum gratiæ, seu ad salutem vel beatitudinem gratiosam & inchoatam. Cognoscimus Deum duplici ratione (a) in regno gratiæ in fide per verbum (b) in regno gloriæ per visionem a facie ad faciem, siue intuitiuam. Et per visionem in fide, seu per eam, quæ fit fidendo, æque beati sumus, ac per visionem, quæ fit videndo visione intuitiua, licet visio intuitiua perfectiorem longe & eminentiorem beatitudinem comprehendat, quam visio fiducialis per verbum.

§. XXII. Amor quoque Dei perfectissimus & constantissimus, qui est vitae aeternae consummatae & gloriosae, non tollit existentiam & praesentiam beatitudinis in regno gratiae inchoatae. Etenim, cum amor Dei perfectissimus, omnique ex parte consummatus, in homines cum tot infirmitatibus colluctantes non cadat, DEVS in regno gratiae secundum suam *Trinitatem* contentus est, si modo cum fiducialiter & filiorum in morem diligamus, & si Deum tali ratione filialiter amamus, vere quoque inchoatiue beati sumus in regno gratiae. Amor enim fructus est vere fidei, licet non sit omni ex parte perfectus, ubi vero est vera fides, ibi verae & actualis salus, nam *ex gratia saluati estis per fidem*, inquit Apostolus Ephes. II. Amor omni ex parte perfectus & constans pertinet ad vitam aeternam consummatam & gloriosam, interim tamen Christus quoque respicit amorem nostrum, licet imperfectum, & propterea hominem sui dignatur domicilii, & consequenter beatitudinem ei confert inchoatiuam. Testatur hoc ipse Joh. XIV. 23. *Qui diligit me, serua-bit sermonem meum, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Si vero tota Trinitas diligit hominem, & habitat apud hominem, Deum, quantum imperfecte, attamen filialiter amantem, necessario homo hoc domicilio & inhabitatione beatus, veram & actualem possidet beatitudinem in regno gratiae, quia Deus clemens & gratiofus nunquam sine praesente beatitudine in homine habitat.

aut

aut habitare potest. Eadem ratione, quando dicitur, gaudium summum, constantissimum & semper duraturum requiri ad beatitudinem vel vitam aeternam, Pf. XVI. II. istiusmodi vero gaudium non cadere in regnum gratiae, ergo nec dari & existere quoque beatitudinem in regno gratiae; respondemus: gaudium summum, perfectum & constans esse utique partem vel donum vitae aeternae, sed gloriosae & consummatae, non vero gratiosae & inchoatae. Gaudium tamen hoc perfectissimum non impedit, quo minus gaudium, quod habent fideles in Spiritu Sancto iam tum in regno gratiae, quamvis imperfectum & inconstans, sit vera pars, verus thesaurus beatitudinis vel vitae aeternae gratiosae & inchoatae. Et o felices, o beatos, illos, qui in vera fide cum Propheta exclamare possunt: *Gaudeo in Iehoua & anima mea exultat in Iehouab meo, quia induit me vestibus iustitiae, & pallio iustitiae amiccuit* Ies. LXI. 10. o beatos, illos, qui fiducialiter cum Maria gaudii in Spiritu S. plena dicere possunt: *Magnificat anima mea Dominum, & exultat Spiritus meus super Deo seruatore meo: Quia respexit humilem ancillam suam,* (seruum suum) *Ecce enim ex hoc tempore beatam* (beatum) *me predicabunt omnes aetates* Luc. I. 46. sqq. Nihil pro inde obstat, quo minus vera & actualis detur beatitudo in regno gratiae, licet destituatur gaudio summo & perfectissimo, quod, ut antea diximus, est bonum vitae aeternae gloriosae. Et huc quoque spectat Pf. XVI. II. & Pf. XXXVI. 9. Gaudium enim ve-

rum in Spiritu Sancto, licet imperfectum, magnam tamen beatitudinis & salutis inchoatae in regno gratiae partem constituit, id quod §. IV. vberius demonstrauimus.

§. XXIII. Si quis porro obiecerit, & sic argumentatus fuerit: *Si fideles & regeneriti per fidem, inhabitationem diuinam & vnionem cum Deo habeant vitam aeternam actualiter, sequitur, infideles propter incredulitatem, & inhabitationem Diaboli iam tum in regno gratiae sentire & habere pœnas inferni. Nam oppositorum opposita sunt consequentia:* ei respondemus: affirmando vtrumque, certo tamen modo. Infideles fide non donati a maledictione legis & peccati dominio non liberati, non iustificati, in filios Dei non adoptati, non sentientes pacem & gaudium in Spiritu Sancto, sunt vere in statu damnationis, & eo, quod diabolus inhabitat corda eorum, vere perpatiuntur poenas infernales, quoad certos tamen eosque inferiores longe & minores gradus, quam quibus cruciandi sunt in altera vita, scil. post consummationem seculi. Segregati enim sunt iam tum a Deo in regno gratiae, ita, vt nec possideant Deum gratiosum, nec fruuntur Deo gratioso, quae profecto segregatio a gratia diuina eiusque perceptione vtique dici potest gradus damnationis, licet minor & longe ignobilior, quam in altera vita futurus sit. Insuper infideles iam tum in regno gratiae perferunt summam angustias, summam conscientiae inquietudinem, ita, vt cum

cum Caino interdum vagi, fugitivi & agitationibus infesti sint Genes. IV. 12: quam conscientiae inquietudinem angustiamque aeternae damnationis gradum licet leuiorem esse, nemo facile negabit. Nec metuendus est in hac sententia error *Georgii Davidis*, qui referente *Hornbeckio* in *summa controuersarum*, cap. IV. statuit: vitam aeternam, infernum, iudicium extremum, & coelum denique expectandum esse & locum habere solum in hominibus, eorumque cordibus, & nusquam alibi. Nos vero, quamuis statuamus, infideles iam tum in regno gratiae aliquos cruciatus infernales, licet in minimo & inferiori longe gradu, perferre, docemus simul, eos in altera vita, post consummationem saeculi, habituros esse poenas & cruciatus longe atrociores, imo atrocissimos, eosque cruciandos esse exquisitissimis tormentis, qua corpus, qua animam, in certo quodam *τῶν* damnatorum, quod in Sacra S. infernus vocatur, vel locus cruciatuum, *τῶν* *παράδεισ.* 1. Petr. III. 19.

§. XXIV. Nec destruitur salus siue beatitudo in regno gratiae exhibita, eo, quod dicitur, *fideles per beatitudinem inchoatiua saltem esse in via ad Patriam, non vero in ipsa Patria, non dari autem actua- lem & veram beatitudinem extra Patriam, sed solum in Patria, adeoque in via ad Patriam adhuc degentes, nihil habere in hac via beatitudinis actualis.* Respondemus enim: Fideles etiam in via ad Patriam possident Deum gratiosum, in via ad Patriam etiam fruuntur

Deo gratioso, quae fruitio est vera pars vitae aeternae, seu beatitudinis, licet inchoatiuae saltem in regno gratiae, seu in via ad Patriam, adeoque regeniti etiam in ipsa ad Patriam via habent aliquam partem, aliqua dona, aliquos thesauros beatitudinis, licet dona illa sint adhuc imperfecta. Praeterea, per viam ad Patriam intelligitur nihil aliud, quam via ad gloriosam & perfectissimam beatitudinem in regno gloriae. Optime igitur apud se inuicem stare possunt haec propositiones: Fideles in via ad Patriam iam quoad certa bona beati sunt, licet inchoatiue & imperfecte: & fideles in Patria perfectissime & gloriosissime beati erunt, quoad omnia bona, ne minima quidem exclusae parte. Nec beatitudo inchoatiua in regno gratiae inuoluit solum causalitatem beatitudinis, quasi solum per media, quae sunt fides & iustificatio, idonei reddantur fideles & regeniti ad vitam aeternam gloriosam aliquando capessendam. Inchoatio enim vitae aeternae, quae est viae ad Patriam, infert quoque actualem eius possessionem in via, licet incompletam & imperfectam. Testatur hoc clarissime Apostolus Paulus, cum in epistola ad Colossenses cap. I. 12. sq. ait: *Benedictus Deus sit, qui idoneos nos reddidit ad participandam sortem sanctorum in luce, qui, inquam eripuit nos ex potestate Diaboli, & NB. transfudit nos in regnum filii sui dilecti.* In hoc dicto Apostolus Paulus non solum dicit: Deum fideles in regno gratiae (de quo hic sermo) idoneos tantum reddere, ad participandam sortem sanctorum in luce i. e. vitam

tam

tam aeternam, per media nempe dispositoria & praeparatoria, quae sunt donatio fidei & iustificatio, sed addit etiam insuper, Deum nos eripere ex potestate diaboli, & transferre in regnum filii sui dilecti, quae translatio ut vere & actualiter sit in regno gratiae, ita veram & actualem salutem habet comitem. Regnum Christi tam gratiosum, quam gloriosum, nunquam est sine beatitudine, licet in utroque diverso modo. Adeoque qui participes facti sunt regni Christi & in illud translati sunt, illi participes quoque facti sunt beatitudinis, quippe quae cum regno Christi semper est coniuncta.

§. XXV. Contrariari denique sententiae nostrae, quodammodo videtur locus Pauli I. Tim. VI. 12. ubi scribit: *Decerta praeclarum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, ad quam etiam vocatus es.* Verum si penitus inspexerimus hunc locum, statim apparebit, Paulum hic loqui de vita aeterna, seu de beatitudine gloriosa; siue de corona fidelibus & erudentibus demum post resurrectionem adicienda & attribuenda 2. Tim. IV. 8. quae tamen coronae coelestis plenaria adeptio non tollit inchoativam aliquam eius participationem in regno gratiae, quamvis imperfectam, id quod ex innumeris aliis, in Ecclesiis patriis iam dudum docuere: Philippus Nicolai in Theoria vitae aeternae p. m. 356. sq. 362. 454. 479. & cap. II. libri IVti, per integrum, item Steph. Klotzius in Cyprissu Crang p. 764 sq. & 782. sq. Th. Lundius in geist

33 (40) 34
Geistlichen Königreich p. 187. sq. 490. sq. & 1958. sq.
adem etiam in der Ehre des dreyeinigen Gottes p. 896.
Lassenius in der Salaminia p. 235. & Petrus Goldschmidt
in der ewig erquickenden Ruhe der Seelen meditat. 2.
per integr.

§. XXVI. Ex his itaque longo ordine addu-
ctis manifestissime elucebit, quam firmiter doctrina
de salute in regno gratiae exhibita fundata sit in S.
litteris, quamque evidentissimis indubitatisque testi-
moniis in Scriptura S. stabilita sit & confirmata. Et
haec quoque causa est, cur libri nostri Symbolici,
Scripturae Sacrae, tanquam vnico fidei fundamento,
arctissime inhaerentes, hanc doctrinam publice pluri-
mis in locis profiteantur. pag. 539. (vbi de beatitu-
dine, nobis per baptismum data, loquuntur libri Sym-
bolici) salus in regno gratiae his verbis adstruitur:
Coeterum, (verba sunt Catechismi maioris) saluum
fieri scimus, nihil aliud esse, quam a peccati, mortis &
diaboli tyrannide liberari, in regnum Christi deferri ac
cum eo immortalem vitam agere. Et pagina eadem &
sequenti: iam ubicunque Dei nomen est, ibi vitam quo-
que & summam felicitatem esse, necesse est. Pag. 547. hor-
tatur Catechismus maior, ne nos diuelli patiamur, ab
hac saluberrima doctrina. Ideo, inquit, aduigilandum
nobis est nauiter omni panoplia instructis, ne a verbo Dei
diuelli & abstrahi nos patiamur, ut baptismum non nu-
dum & solum signum esse credamus, quemadmodum no-
stri Spermologi seu Schwärmeri somniant. Quid de bea-
tita-

titudinae fidelibus per baptismum & S. Coenam collata, afferat Catechismus Lutheri minor, fusus ex loco Carpzouii explicatum est supra §. XIII. & XV. Addimus, quod alibi Formula Concordiae docet de salute viatorum: *Et hoc fundamentum est Paulinae disputationis, quod eodem prorsus modo & iustitiam & salutem consequamur. Imo, quod eo ipso, cum fide iustificamur, simul etiam adoptionem in filios Dei & haereditatem vitae aeternae atque salutem adipiscamur.* Ad quae Formulae Concordiae verba, notabilis maxime est Rappolti locus, in eius operibus pag. 202. sq. vbi sic scribit; *Neque enim ius & sola, solum possessio & proprietates vitae aeternae in iustificatione nobis conferuntur, sed eadem specie fructus aeterni gaudii quo ad initium & praegustum, quae post hanc vitam plene & inamissibiliter percipietur.* Apologia quoque A. C. pluribus in locis pro beatitudine in regno gratiae exhibita militat. Nostra saltem adducturi sumus suffragia, reliqua enim summa cum industria collegit Summe Reuer. D. Lützens in scripto saepius allegato cap. IV. §. XI. Primus locorum a nobis adducendorum legitur artic. VIII. §. *Julianus apostata, & sequentem sonat in modum: Sciamus, Evangelium non ferre leges de statu civili, sed esse remissionem peccatorum, & inchoationem vitae aeternae in cordibus credentium.* Alter conspicitur Artic. XII, qui salutem viatorum sequentibus verbis adstruit. *Nam illa maceratio in lege significabat mortem Christi, & praedicationem Euangelii, qua hanc verustatem carnis mortificari oportet, & inchoari novam & aeternam vitam in nobis.* Tertius denique

Apologiae Christianae locus, non minus nostrae subscribit sententiae, maximumque ei pondus addit, dum artic. XIV. sic ait: *Supra damnauerunt* (aduersarii nostri) „articulum XV. in quo posuimus, quod traditiones non „merentur remissionem peccatorum, & hic dicunt „traditiones conducere ad vitam aeternam; Num merentur remissionem peccatorum? Num sunt cultus, „quos approbat Deus tanquam iustitiam? Num viuificant corda? Paulus ad Colossenses ideo negat, prodesse „traditiones ad iustitiam aeternam & vitam aeternam, „quia cibus, potus, vestitus & similia sint res vsu peruenientes, at vita aeterna in corde rebus aeternis h. e. „verbo Dei & Spiritus S. efficitur.

§. XXVII. Cum igitur doctrina de beatitudine seu vita aeterna in regno gratiae iam tum inchoatiue exhibita, siue de actuali salute viatorum, tam in Scriptura S., quam in libris Ecclesiae nostrae Symbolicis, manifestissime sit explicata & fundata, mirum non est, quod tot tantique nostratium Theologi, eam semper pro veritate diuina habuerint, scriptisque suis corroborarint atque confirmarint. Innumera hic possent adduci Theologorum testimonia, nisi & temporiter parceremus, fastidiumque lectori moueri verè remur. Ex hoc testimoniorum foecundissima messe, saltem Theologorum orthodoxorum suffragia, adducenda a nobis erunt. Primum est Brentii in Iohannis caput XVII. vbi p. 674. sic scribit: *Haec cognitio (cognitio nempe Dei & I. C.) affert aeternam vitam, imo est ipsa aeterna vita, felicitas & beatitudo.* Non autem est sentien-

,,tiendum, quod pii in futuro tantum seculo consequan-
 ,,tur aeternam vitam, sed quod cognitio Christi vitam
 ,,aeternam ita afferat, vt ea tam in hoc, quam in futuro
 ,,seculo fruamur. Primum enim, si vere crediderimus
 ,,in Iesum Christum, quod ipse sit a Patre missus, & pla-
 ,,cuerit iram Patris, tunc consequimur ius filiorum
 ,,DEI, vt si mus veri haeredes vitae aeternae. Qua
 ,,fide ita regeneramur, & recreamur, vt habeamus tran-
 ,,quillam & laetam conscientiam coram Deo, non so-
 ,,lum spe iustitiae in Christo, verum etiam certissima ex-
 ,,pectatione liberationis in media etiamnum morte. *Hic*
 ,,est gustus aeternae vitae etiam in hoc mundo. Regnum
 ,,Dei, inquit Paulus, non est cibus nec potus, sed iusti-
 ,,tia & pax & gaudium in Spir. S. Et iterum: Iustificati
 ,,ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum
 ,,nostrum Iesum Christum, per quem & contigit na-
 ,,bis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua
 ,,stamus, & gloriamur sub spe gloriae Dei. Etsi enim
 ,,caro adhuc imbecillis est, & multae sunt afflictiones,
 ,,quas feramus necesse est; denique vt nihil aliud
 ,,acceserit, morte vel tandem obruimur; tamen, quia
 ,,fide in Christum certissimi sumus, afflictiones &
 ,,mortem non esse in nobis viam ad interitum, sed
 ,,ad salutem; *possidemus etiam in hac mortali vita non*
 ,,mediocrem partem immortalitatis & aeternae vitae.
 ,,Alterum testimonium est B. Gerhardi, de quo *Wal-*
 ,,therus in Miscell. Theolog. p. 387. ita scribit: Vere
 ,,& pulcre D. Gerhardus scribit Tom. IX. Loc. de vi-
 ,,ta aeterna p. 788. *Summus vitae aeternae thesaurus iam*
 ,,*dum in hac vita est in piis, sed absconditus, in nouissim*

die sequitur reuelatio, & inde gloria vitae aeternae dicitur
 μετὰ τὴν ἀποκαλύψιν αἰς ἡμᾶς Rom. VIII. 18. Idem p.
 794. sic differit: *Initium aeternae felicitatis & coelestis*
gaudii pii sentiunt in hac vita, incrementum ipsorum ani-
mae accipiunt post mortem. Complementum vero & ple-
na possessio demum sequetur post resurrectionem. Terti-
um denique suffragium est B. Waltheri, qui in Miscell.
Theolog. p. m. 386. ait: Beatos esse credentes nos, &
electos in medio pravae dispositionis, qui negat, & in-
DEVM & in seipsum summe est iniurius. Deum quippe
laedit quoad suam bonitatem, seipsum quoad animi a-
nimaeque tranquillitatem. Plura eaque innumera-
fere, Danbauri, Feuerbornii, Brochmanni, Höpfneri,
Hülsmanni, Osiandri, Carpzouii, Calonii aliorumque
Theologorum testimonia collegit Summe Reuer. D.
Franco. Julius Lütken, in scripto multoties allegato per in-
tegrum, speciatim vero cap. V. qui nobis ergo otia fe-
cit. B. Lutheri Megalandri testimonia de beatitudine
actuali in regno gratiae exhibita siue de actuali salute
viatorum Vir Magnificus, Summeque Reuerendus D.
Henr. Mublius SS. Theol. Doctor, eiusdemque in illu-
stri Hollatorum, Christian-Albrechtina, Professor Pri-
marius, non per Ducatus Slesuicenf. & Hollat.
Superintendens Generalis, integro libro complexus
est, cui titulus: Der unversälschte Sinn unsers lieben
Vaters D. Mart. Lutheri, in dem bestrittenen Lehr-Satz
von der wärcklichen Seeligkeit der Gläubigen alhier in
diesem Leben / untersucht / und aus allen seinen Schriff-
tenfüglich zusammen getragen / von Henrico Mulio der
Sp. Schrifft Doctor &c. Kiel 1704. 4to. In cuius prae-
 fatio

fatione seu Vorbericht plurima quoque Theologorum Lutheranorum testimonia collegit, quibus sententia haec de beatitudine in regno gratiae exhibita mirum quantum illustratur.

§. XXXII. Explicata igitur & fusius demonstrata beatitudine in regno gratiae, quid nempe in sua essentia sit, & in quonam consistat in regno gratiae, altera iam nobis quaestio decidenda venit, videlicet: *An beatitudo, siue salus in regno gratiae exhibita, differat essentialiter a beatitudine in regno gloriae exhibenda?* Id quod a nobis, certis tamen praesuppositis limitationibus, distinctionibusque, negatur. Non ignoramus quidem Theologos nostros orthodoxos, nulliusque erroris aut heterodoxiae suspectos, diuersas de hac quaestione fuisse sententias, imo quaestionem hanc esse problematicam, qua sine heterodoxiae suspitione vtraque dissentientium pars suam ventilare possit sententiam, a tamen hac vice iis nos potissimum associabimus, qui essentialem differentiam negant, nec nisi gradualem & modalem esse asserunt.

§. XXIX. Cum autem sermo nobis est de differentia essentiali inter beatitudinem in regno gratiae exhibitam, & inter beatitudinem in regno gloriae exhibendam, eandemque negamus, & statuimus esse solum differentiam gradualem, non quaerimus de differentia inter *visionem specularem & intuitiuam*, (unter glauben und schauen) an sit essentialis nempe vel gradualis; Inter has enim essentialem esse differentiam, omni-

no statimur. Sic enim Gerbardus Loc. de Vita aeterna § 135. *Visio specularis & intuitiva non gradibus duntaxat, sed etiam specie inuicem distinguuntur. Nam visio imaginis hominis in speculo relucens, & visio ipsius hominis a facie ad faciem, non differunt tantum gradibus, sed etiam specie.* Quærimus potius, an inter beatitudinem, quæ hic per fidem, in altera vero vita per visionem, fruimur, in se & obiectiue, detur aliqua differentia essentialis, & hoc est, quod negamus,

hous §. XXX. Intelligimus vero beatitudinem tam *Obiectiue*, quam *formaliter*, consideratam. *Obiectiue* quidem nulla datur differentia essentialis, quia vna saltem est vita aeterna, quemadmodum vnus Deus I. Cor. VIII. 5. 6. Eodem enim Deo in præsentia vita fruimur, quo in altera vita in æternum fruemur. In quo præcognitus & intuitum ac apprehensio vitæ æternæ per fidem, eisdemque exercitium sese exerit Ioh. III. 36. V. 24. I. Tim. VI. 12. Hebr. VI. 4. 5. Eadem obiectiue beatitudo est in hac & altera vita, idem enim Deus est, qui in hac vita creditibus est aliquid in omnibus, & in altera vita erit omnia in omnibus, vt loquitur Klotzius in Cypresen-Rang p. 516. ad I. Cor. XV. 25. Nec datur essentialis differentia, si beatitudo *formaliter* consideretur, hoc enim sensu nomine beatitudinis vel vitæ æternæ comprehenduntur omnia bona, quibus per meritum Christi partis, ex DEO tanquam summo nostro bono, hic fruimur, atque in æternum fruemur. Ex iis autem bonis, quaedam a nobis gustantur & percipiuntur in altera

altera vita solum, quaedam vero non solum in altera vi-
 ra, sed etiam in hac vita, licet gradu imperfectiore, v.g.
 gaudium in Deo, adoptio in filios Dei &c. Quamvis ve-
 ro, quod modum fruitionis horum bonorum attinet,
 maximum sit discrimen inter hanc & futuram vitam, at-
 tamen quoad essentiam non datur differentia inter bona
 beatitudinis vel vitae aeternae, quae in regno gratiae
 gustantur, & inter bona vitae aeternae, quae in regno
 gloriae percipiuntur: e. g. *adoptio nostra in filios Dei* ma-
 ximum Dei est beneficium, vi cuius nos, licet per carna-
 lem generationem simus filii irae, adoptamur a DEO
 in filios gratiae Hebr. XII. 6. ita quidem, vt nos in intel-
 lectu pro filiis agnoscat, & in voluntate vt filiis bene-
 faciat, nos diligat, atque amore affectuque prosequatur.
 Et haec proprietates siue partes gratiosae adop-
 tionis tam sunt in adoptione ea, quae est in regno
 gratiae, quam in ea, quae est in regno gloriae, nec
 est alia differentia inter adoptionem gratiosam in re-
 gno gratiae, & gloriosam in regno gloriae, quam
 gradualis, quia nempe in hac vita adoptionem qui-
 dem possidemus vere & actualiter, sed tamen adhuc
 quoad primitias, imperfecte & mutabiliter, in altera
 autem vita possessuri sumus perfectissime, quoad ple-
 nissimam messem & immutabiliter. Pari certe ratione
gaudium in DEO in credentibus, est maximum illud
 bonum, quod sentiunt fideles ex ponderatione felici-
 tatis, quam ex fruitione DEI eiusque gratiae hac in
 vita percipiunt, nec gaudium beatorum in altera vita
 aliud est essentialiter, quam delectatio ob summam &
 per-

perfectissimam felicitatem, qua in Deo & apud Deum potiti sunt. Gradualiter autem differt gaudium, quod in regno gratiae imperfecte & mutabiliter percipitur, a gaudio, quod in regno gloriae perfectissime & inamissibiliter sentitur.

§. XXXI. Ultimo denique loco, non quaeritur; an beatitudo in regno gratiae & beatitudo in regno gloriae differant *genere logico*? quatenus nempe utraque est cognitio Dei, hoc enim genere eos differre, nemo affirmabit. Sed quaestio hic est: An differant *genere Physico*, *specie*, *essentialiter* & *quoad propriam essentiam*, *per differentiam propriam speciei specialissimam*. Et haec differentia a nobis negatur, eiusque loco gradualis potius & modalis asseritur,

§. XXXII. Probabimus hoc ex Scriptura, §, quam evidentissime, videlicet ex dicto Pauli Ephes. I. 14. ὅς ἐστιν ἀρραβὴ τῆς κληρονομίας ἡμῶν εἰς δόξαν τῆς ἀποκαλύψεως, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. In hoc dicto Paulus loquitur de tertia Persona Trinitatis, de Spiritu Sancto, quem versu praecedenti πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας Spiritum promissionis, vocauerat, & quidem loquitur de eo, quemadmodum ille cum adventu suo in cordibus hominum secum simul asserat dona suae gratiae, quorsum etiam spectant confirmatio, unctio & obsecratio, & haec dona gratiae a Spiritu S. donata, vocat: *arrabonem hereditatis nostrae*. Hic verus est sensus dicti Paulini. Eodem enim modo explicatur

tur a B. Calouio in Annotat. Anti-Grotian. ad 2. Ep. ad Corinth. p. 431. vbi sic ait: *Spiritus S. arrha & pars solutionis est, prout Spiritum Sanctum eiusque dona accipimus in fidem summae totius securariae.* Et in Ep. ad Ephes. I. 14. p. 666. ita: *arrha etiam vocantur primitiae Spiritus S., quae hic nobis conferuntur.* Per arrhabonem autem quid proprie intelligendum sit, paucis videbimus. Lutherus vertit: Das Pfand / forsan, quia versio vulgata vocem ἀρραβὼν reddidit per pignus, quam tamen translationem non admittit Calouius. Proprie & vi vocis ἀρραβὼν idem est, quod arrha, Germanice ein Augeld / id quod ex Lexicographis & Hieronymo fufius demonstrauit Mag. D. Lütken, scripto supra memorato p. 113. Quomodo vero differant pignus & arrhabo seu arrha, id Jcti nos docent. Pignus enim plerumque datur, vel supponitur, cum quis ab aliquo aliquid mutuo acceperit. Arrhabo vero vel arrha datur praesertim in contractibus emtoris, & pactis matrimonii. Pignus non est pars essentialis pecuniae illius, quae mutuo data est: sed arrhabo vel arrha pars est essentialis, pertinens ad substantiam totius summae. Cum vero nunc Paulus verbis supra adductis dicit: Spiritum S. vnacum bonis & thesauris suis, quibus fideles in regno gratiae beat, arrhabonem esse vel arrham haereditatis nostrae vel vitae aeternae, nihil aliud vult, quam Spiritum Sanctum cum bonis suis non essentialiter differre ab haereditate futura, sed bona illa omnino pertinere ad massam haereditatis: nam arrha minor

G

pars

pars est vniuersae summae, monente Theodoro. Praeterea Paulus quoque docet, nos acceptione hac bonorum gratiae certiores reddi, nos reliquam & residuam coelestis gaudii partem, qua nondum in hac vita beati sumus, in altera vita certissime accepturos & habituros esse. Praeclare hoc iterum explicat B. Calouius in Annotat. Anti-Grotian. pag. 431. *Primitiae illae Spiritus Sancti, quae hic in nos conferuntur, portiuncula sunt quaedam bonorum olim nobis communicandorum, & simul indubitatum testimonium de plenaria coelestis felicitatis haereditate consequenda.* Hoc in loco Calouius primitias Spiritus Sancti, quae hic in nobis conferuntur, vocat portiunculam quandam bonorum olim nobis communicandorum: quemadmodum vero inter portiunculam vel partem alicuius rei, & inter rem ipsam & totam, non est differentia essentialis, sed tantum gradualis & modalis, sic etiam inter bona Spiritus S. nobis in hac vita communicata, & quae beatitudinem in hac vita constituunt, & inter bona beatitudinis post consummationem seculi nobis communicanda, non est differentia essentialis, sed saltem gradualis, quia se habent, vt pars ad totum.

§. XXXIII. Probabimus illud porro, quod nempe differentia non sit essentialis, sed saltem gradualis, ex dicto Hebr. VI. 5. vbi dicitur; quod ii, qui semel illuminati sunt, *gustarint virtutes futuri seculi.* Vbi per virtutes futuri seculi non intelligenda sunt miracula

racula Noui Testamenti, vt aliqui volunt, contra quos *Calouius* disputat: De mundi, *inquit*, renouati seu Ecclesiae Noui Testamenti quibusdam miraculis perceptis haec explicare, est textum sole luculentiore, insigniter obscurare. Intelligendus potius hic locus ita est: quod illi homines, qui illuminati fuerunt, aliqua bona diuina vere habuerint ante relapsum, quae electi post hanc vitam habituri sunt, vt sunt v.g. *adoptio, pax cum Deo, gaudium in Deo, gratia Dei Patris, sanctificatio, quies animarum cum Deo, aliaque*. Qui enim gustarunt virtutes futuri seculi, hoc est, qui beatitudinis coelestis in altera vita non tantum aliquam speciem, sed ipsasmet virtutes & bona ipsa coelestia perceperunt, imo intimis medullis exceperunt, *inquit Calou. l. c. p. 1234.* Si vero fideles & illuminati in regno gratiae (de iis enim loquitur Paulus, quod patet etiam ex eo, quia iis tribuit relapsum, relapsus aut in regno gloriae locum nullum habet) gustarunt virtutes futuri seculi, si beatitudinis gloriosae non tantum speciem, sed ipsasmet quoque virtutes & ipsa bona coelestia perceperunt, imo intimis medullis exceperunt, sequitur necessario, non esse differentiam, essentialem inter bona coelestia in regno gratiae, exhibita, & inter bona coelestia in regno gloriae exhibenda, sed differentiam illam esse saltem gradualem & modalem. Idem ex hoc dicto iam dudum euicerunt plures Theologi, quos allegat Summe Reuer. D. *Lutkens* scripto tories laudato pag. 138 qui etiam pag. 115. ex dicto Rom. VIII. 17. clare demon-

G 2

frat

strat, differentiam esse saltem gradualem, non vero essentialem.

§. XXXIII. Eandem hanc veritatem, quod nempe differentia inter salutem siue beatitudinem in regno gratiae, & inter beatitudinem in regno gloriae non sit essentialis, sed potius gradualis, iam pridem docuere quam plurimi Theologi, ex quibus vnum alterumue hic adducere lubebit. Primo autem inter eos loco nominandus est B. *Lutherus*, qui in Tom. III. Ien. lat. f. 453. sic scribit: Regnum fidei & futura vita differunt, non ad rem, sed ad rei modum. Parem in modum explicat quoque visionem Dei per speculum in regno gratiae, quando ad 1. Cor. XIII. haec commentatur, quae ob singulare pondus hic Germanice transcribimus: Hier bricht Paulus aus / (verba sunt Lutheri) von dem Unterscheid dieses Lebens im Glauben / und jenes im Himmel göttlicher Anschauung; Und ist das die Meinung: Es ist ein Ding / das wir hier in diesem Leben / und dort in jenem Leben haben / denn es ist derselbige Gott und alles gut / das wir hier glauben und dort sehen werden / daran ist kein Unterscheid; Aber der Unterscheid ist in dem Erkenntnis / das wir denselben auf eine andere Weise hier in diesem Leben / und auf eine andere Weise dort in jenem Leben haben. *Luthero* assentitur *Gerhardus* loco iam citato, de quo *Waltherus* in Miscellan. Theolog. p. 387. scribit. Vere & pulcre, *D. Gerhardus* scribit Tom. IX. Loc. de vita aeterna.

p. 788. *Summus vitae aeternae thesaurus iam dum in hac vita est in piis, sed absconditus, in nouissimo die sequetur reuelatio, & inde gloria vitae aeternae dicitur* *μὲν σου ἀποκαλυφθῆναι ἐς ἡμᾶς* Rom. VIII. 18. Idem p. 794. sic differit: *Initium aeternae felicitatis & coelestis gaudii pii sentiunt in hac vita, incrementum ipsorum animae accipiunt post mortem: complementum & plena possessio demum sequetur post resurrectionem.* Eandem sententiam quoque fouet alio in loco, videlicet in notis ad Epistolas in Timotheum, & quidem ad 2. Tim. V. 9. p. m. 134. qui conferendus est cum eo, quem modo adduximus. Nec sibi contrariatur *Gerbardus* tam in Loco de Vita aeterna §. 134. quam in Commentario in Epistolam ad Hebraeos cap VI. 41. p. 123. Ibi enim non loquitur de beatitudine in se & in sua essentia, seu de differentia cognitionis diuinae, quae fit per fidem, & quae fit per visionem, quae diuersissima est. Illa enim Deum cognoscimus, mediante verbo, per fidem & in fide, vt loquitur Oseas, hac vero absque verbo, nec per fidem, nec in fide, sed per visionem a facie ad faciem. Eidem nostrae sententiae calculum suum addunt quoque *Simon Pauli* in Method. Theolog. p. II. & B. *Wigandus Gallus*, qui, dum maioris Propositionem: *bona opera esse necessaria ad salutem, refellunt, sequentibus vtuntur verbis: Bona opera fieri post salutem acquisitam in iustificatione, non ante salutem, ius, possessionem & fruitionem aeternae haereditatis iam habere iustificatum per fidem. In iustificatione non*

ἡμῶν τῶν ἀποστόλων ἡμῶν τῶν ἀποστόλων ἡμῶν τῶν ἀποστόλων G 307: II. *Wigandus Gallus* *solus*

solum ius nec solam possessionem & proprietatem vitae aeternae tradi, sed etiam eandem specie fruitionem aeterni gaudii initium capere, quae post hanc vitam plene & inamissibiliter percipietur. Quam sententiam non infringit *Hülsemannus*, sed potius confirmat in repetitione Artic. IV. libri Concord. p. 23. 101. & 177. Idem *Hülsemannus* im *Calixtinischen* *Gewissens* *Wurm* pag. 650. sq. demonstrat, primitias a plenaria messe non differre specie, sed saltem quantitate, taliaque signa comparatae locutionis manifeste offendi, affirmat per integrum caput octauum Epistolae ad Romanos, versu nempe 10. 11. 16. sqq. vsque ad finem: addatur praeterea *Hülsemannus* libro citato p. 642. sqq. vsque ad 660. Quam strenue pro nostra sententia militet B. *Dannbauerus*, videri potest ex eius *Hodosophia* Phaenom. IX. p. 1404. sq. vbi sic scribit: Nam si regeneritus Dei filius eo momento, quo regeneratus, iam fruitur ipsa haereditate per *ωσφύουσι* Hebr. VI. iam beatus est Rom. IV. 6. sqq. iam habet vitam Iohan. III. 36. V. 24 Gal. II. 20. Spe saluus est Rom. VIII. 24. spe scilicet cum rei primitiis coniuncta Rom. XIV. 17. in spe, quae non differt a re, nisi vt pullus intra ouum & pullus exclusus, vel vt infans intra vterum iacens, & iam editus 1. Ioh. III. 2. Si inquam, regeneritus Dei filius in eiusmodi est sorte, a forte coelesti non differente specie, sed gradu, apparitione, gloria, lumine, quod in patria maius, non diuersum specie a lumine viae. Nec sibi ipsi contra dicit *Dannbauerus* in tabella *Hodosophiae* praemissa

p. 15. ibi enim non loquitur de beatitudine in se & in sua essentia, verum de ratione & modo fruendi beatitudine, qui diuersissimus est, in regno gratiae quidem per fidem, in regno gloriae autem per visionem. Plura testimonia v. g. *Quenstedii System. P. I. c. XIV. thes. 2. p. 500. Lundii im geistlichen Königreich p. 187. 490. & 1058. Philippi Nicolai in Theoriae vitae aeternae lib. III. p. m. 362. 493. &c.* aliorumque adducere hic possem, nisi instituti ratio, vt filium hic abrumperem, suaderet.


§. XXXV. Ex his itaque euidenter, vt opinamur, elucebit, quam altas in Scriptura S. radices egerit sententia nostra, quamque egregios habeat defensores. Non vero damnamus sententiam dissentientium partium, sed potius acquiescimus in deciso Summe Reuerendae Facultatis Theologicae Gryphisvvaldensis, quae in Responso, quod in controuersia de beatitudine in regno gratiae die 23. Febr. 1706. datum est, scribit: Quaestionem hanc esse problematicam, neutramque de ea opinionem siue affirmantem, siue negantem, Fanaticismi aut heterodoxiae incurrere suspicionem. Sufficiant itaque haec. DEO autem Triuno, vnico beatitudinis & salutis nostrae fonti, auctori, datorique, qui nobis ea retexit per Spiritum, & nobis non dedit Spiritum mundi, sed Spiritum, qui est ex eo, vt sciamus, quae ille nobis est gratificatus, sit laus, honos & Gloria, in secula seculorum

A M E N.

AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS DOCTISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

 Vm a me peteres, vt hanc sub meo, quod vocant, praesidio, commilitonum disquisitioni exponere Tibi liceret, dissertationem, nullamque, cur hoc denegarem Tibi, viderem rationem, lubens consensi. Argumentum namque grauissimum ita tractasti, vt veram ac genuinam ecclesiae nostrae sententiam, luculenter exponeres, & ex scriptura sacra firmiter comprobares. Nec inter nostrates, qui τὴν ὑπόπρωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων obseruant, vllus hac in re est dissentus. Conueniunt in eo omnes, beatitudinem fidelibus quandam etiam in hac vita reuera competere, modo recte hoc explicetur. Cum vero disputatur, num essentialis sit, vt in scholis loquuntur, quae inter beatitudinem huius & futurae vitae intercedit differentia, res omnis ad sen-


H


sum

sum, quem quisque vocibus illis tribuit, redit;
potestque certo modo & negari & affirmari. Ea
vero ratione, qua tu mentem tuam explicasti,
non puto quenquam inter nostrates repertum
iri, qui hoc inficiari, aut vocare in dubium au-
sit. Pertinetque eo haec opera tua, non ut li-
res & certamina foueas, sed ut componas ea, di-
rimasque. Intellecta enim maxime Reuerendi
viri, patris tui, quam exposuisti, recte sententia,
facile conquiescent, viri illi doctissimi, qui hac
super re controuersiam illi mouerunt. Cum
enim plurimae inter Theologos inde oriantur
contentiones, quod alter alterius non asse-
quatur mentem, percipiatque sententiam, non
facilior hasce euitandi, aut ortas consopiendi,
est ratio, quam clare perspicueque mentem ex-
ponere, ut omnes intelligant, a veritatis nos neu-
tiquam discesisse tramite. Quo ipso & satis-
fecisti illorum desideriis, qui ideo parenti
tuo aduersari visi sunt, quod cum heterodo-
xis quibusdam facere videretur, a quorum
tamen sententia quantopere vera nostrorum
theologorum, quem & parentis tui esse profi-
teris, distet, luculenter ostendisti. Caput & sum-
ma rei eo redit, ut sicuti in aliis doctrinae caelestis
capi

capitibus, ita in hoc quoque, duo caute & solertiter euitemus extrema. Alterum illorum est, qui cum Pelagio & Socino vim gratiae divinae, quamque ratione possunt, extenuant, nec discrimen fere vllum inter hominem christianum & ethnicum, naturae ductu honesta sectantem, constituunt: adeoque, quae de beatitudine fidelium dicuntur, eleuant, detorquent, & tantum non inter somnia referunt. Alterum illorum, qui in contrarium currunt, beatitudinemque fidelium eousque extendunt, vt inter eam, quae huius vitae & quae futuræ est, nullum fere discrimen agnoscant, immo, quae quorundam fuit audacia, intuitiuam Dei cognitionem fidelibus in hac etiam vita tribuant. Ex quo id consequi necesse est, (namque error errorem vt cuneus cuneum trudit) vt praemia ipsa fidei tollantur, & beatorum labefacteretur prorsus aut imminuatur gloria, a felicitate viatorum, ex horum mente, tam parum diuersa. Quibus nouum mox adiiciunt errorem, qui ne quid summae beatitudini fidelium deesse videatur, media cognitionis tollunt ipsa, tandemque ad reuelationes & illuminationes immediatas, deuoluuntur. Media itaque incedendum & hic via; & ita euitanda charybdis, ne incidamus

ritus in Scyllam. Quod dum in tua recte ob-
seruasti dissertatione, doctissime SIBBERN, me-
rito ob hoc eruditionis editum specimen tibi
gratulor. DEVM etiam praepotentem suppliciter
veneror, animos nostros Spiritus sancti gratia ita
dirigat, vt non tantum de beatitudine fidelium
disputemus, sed eius etiam reuera participes
reddamur, qua primitias in hac, qua plenam
messem, in altera vita. Vale, mihi que porro
faue.









3.

O THEOLOGICA
 DE
 DINE IN RE-
 LAE EXHIBITA,
 SEV
 ALVTE VIATORVM,
 QVAM
 SVB AVSPICIIS
 GNIFICENTISSIMO;
 RINCIPE AC DOMINO,
 O M I N O
 IO HENRICO,
 LIAE , CLIVIAE , MONTIVM,
 WESTPHALIAE, &c.
 AESIDE
 ISCO BVDDEO
 D. EIVSDEMQUE P.P.
art. A. MDCCIX.
um disquisitioni submittit
 A. & R.
 PETRVS SIBBERN,
 Radio Holfárus.

 J E N Æ,
 IS MULLERIANIS.